ACCADEMIA DI MEDICINA ★ TORINO

c V 3

TRACTATUS
METHODICI PRACTICI
IN DUOS TOMOS DIVISI
AUCTORE

FRANCISCO BOISSIER
DE SAUVAGES

Regis Conſiliario, ac Medico, Medicinæ & Botanices Profeſſore Regio, Acad. Monſpell. Londinenſis, Berolinenſis, Upſalienſis Suecicæ, Naturæ Curioſorum, Bononienſis, Florentinæ, ac Phyſico-Botanicæ Socio.

TOMUS SECUNDUS
DE MORBIS CUTANEIS.

NEAPOLI MDCCLXXVIII.
Typis & expenſis CAJETANI CASTELLANO.
SUPERIORUM PERMISSU.

DE LA NATURE, DES CAUSES ET DES EFFETS DE LA FIÈVRE.

INDEX CAPITUM.

CAP. I.

DE *Phlegmone*, Pag. 1

Art. 1. *De Furunculo*, 9
2. *De Panaritio* seu *Paronychia*, 11
3. *De Carbunculo* seu *Anthrace*, 16
4. *De Bubone*, 21
5. *De Abscessu & Ulcere fistuloso*, 25
6. *De Gangræna & Sphacelo*, 31

CAP. II.

De Erysipelate, 42

CAP. III.

De Scirro, 51

CAP. IV.

De Œdemate, 63

CAP. V.

De Emphysemate, 70

CAP. VI.

De Ambustione, 77

CAP. VII.

De Contusione, 82

CAP. VIII.

De Cancro, 89

CAP. IX.

De Strumis, 99

CAP. X.

De Atheromate, *Steatomate*, & *Meliceride*, 108

CAP. XI.

De Lupia, 116

CAP. XII.

De Ganglio, 119

CAP.

CAP. XIII.
De Aneurisſmate, 122
CAP. XIV.
De Varicibus, 129
CAP. XV.
De Scabie, 133
CAP. XVI.
De Herpete, 140
CAP. XVII.
De Lepra, 148
CAP. XVIII.
De Rheumatiſmo, 159
CAP. XIX.
De Arthritide, 170

TRA.

TRACTATUS SECUNDUS

DE AFFECTIBUS CUTANEIS.

FFECTUS cutanei ii dicuntur, qui cutem afficiunt; ex iis quidam proprii sunt; alteri (quorum major est pars) cuti & partibus etiam internis communes sunt; cutem sæpius invadunt, quia aeris contactui, corporumque externorum occursui magis exponitur; affectus cutanei numerosi quidem sunt; horum tantum ætiologiam exponemus, qui frequentius aut gravius corpus afficiunt.

CAPUT PRIMUM.

De Phlegmone.

QUoties aliqua pars præter naturam calet, dolet & rubet, toties inflammatur; est ergo inflammatio præternaturalis alicujus partis

calor, rubor & dolor; in ſimplici inflammatione vix aut leviter tumet pars affecta, quæ a Græcis *Phlogoſis*, a Latinis *exarſio* nuncupatur; dum pars inflammata præter naturam prominet, ſyſtrophica dicitur; præcipuæ inflammationis ſpecies ſunt phlegmone & eryſipelas.

Eſt autem phlegmone tumor circumſcriptus, cum impenſo rubore, calore magno, tenſione & dolore pulſatili.

DIFFERENTIÆ.

Si tumor in acumen promineat, phlegmones nomen retinet; ſi minus ſit faſtigiatus & veluti depreſſus, tumor phlegmonodeus dicitur; ratione vehementiæ & diverſitatis ſymptomatum, nec non indolis partis affectæ, variæ ſtatuuntur ſpecies inferius recenſendæ; rurſus ſola quandoque recurrit, tuncque exquiſita vocatur; aliquando cum eryſipelate, œdemate, vel skirro complicata invadit, & ſpuria dicitur; demum critica nonnunquam eſt, uti in variolis, & peſte obſervatur.

CAUSÆ.

Cauſa proxima eſt ſubitanea ſanguinis hærentia in ultimis vaſculis ſanguineis elaſticis; unde ſanguis in arterias lymphaticas collaterales copioſe derivatur; hæc hærentia accidit propter anguſtiam ſubito factam in vaſis ſanguineis, ita ut ſanguis per arterias pulſus ad partem affectam, difficile per vaſcula minima progrediatur, nec pari copia ex ipſa per venas reducatur, qua per arterias appellit; qui idcirço hærere cogitur.

Hæc ſanguinis ſtaſis inflammatoria accidet, ſive anguſtia fiat in principio venularum aut finibus arteriolarum, cum utroque modo facile conci-

cipitur ſanguinem in ultimis vaſculis ſanguineis hærere & accumulari; imo obſtructis ſubito arteriis lymphaticis, inflammationem oriri poſſe exiſtimamus, tum quia arteriæ lymphaticæ obſtructæ vaſcula ſanguifera vicina comprimendo anguſtare valent; cum, præpedito lymphæ ingreſſu in arterias lymphaticas obſtructas, major humorum moles ad fines arteriarum & venarum ſanguinearum principia ſit devolvenda, quam quæ poſſit per ea vaſcula tenera & inflexa libere progredi.

Hanc ſtagnationem efficit in arteriis minimis quidquid premendo, diſtrahendo, urendo, erodendo, acriter pungendo & criſpando vaſorum fines ita arctat in conicis cylindriciſve, ut diameter aperturæ fiat diametro ſanguinis minor. Huc pertinent calor, motus vehemens, ligaturæ, acria applicata, frigus acre, fricti nimia, omnes cauſæ vulnerum, contuſionum, fracturarum, luxationum, a quibus arctata vaſa fluidum appellens ægre admittunt, & admiſſum retinent.

Eamdem producit quidquid cavitates vaſculorum obturat, ſanguinis appulſum ad ea celeriorem efficiendo, aut ejuſdem copiam augendo, vel ipſum ita cogendo, ut coeat; ſic acida, coagulantia, virus venereum, ſcrofuloſum, ſcorbuticum, ſuppreſſæ evacuationes, quæ non ſolum ſanguinis copiam augent, verum adhuc particulis craſſis, duris, ſolidiſve eum gravidant; item nimiæ evacuationes præſertim per poros cutis factæ, quæ ſeroſas, & tenuiores ſanguinis partes diffiando, reliquas craſſiores efficiunt. Demum partes craſſiores materiæ morbificæ, quæ ſuæ diviſioni diu, nimiſque reſiſtunt, phlegmonem ſæpe pariunt; hinc febribus putridis & malignis phlegmones criticæ accidunt, quibus aliquando febris ſolutio fit. His addenda prava humorum craſis, dum partes inæquali mole præditæ, & aliæ alteris craſſiores in

vaſis minimis conicis, cylindriciſve non niſi ægre fluunt, levique de cauſa hærent.

SYMPTOMATA.

1. Arteriæ minimæ, vixque viſibiles in ſuis finibus obſtructæ, a ſanguine diſtendente augentur, oraque arteriarum lymphaticarum patentiora fiunt; ergo ſanguinis libere progredi nequit, in arterias lymphaticas derivatur, eaſque dilatat; inde tumor rubet, cujus magnitudo a copia ſanguinis hærentis, minimaque vaſa diſtendentis, dependet.

2. Diſtenta vaſcula rupturæ propinquant in fibris minimis; inde dolor.

3. A ſanguine indeſinenter ad vaſa obſtructa appellente, & vaſorum renixu, fluida hærentia compinguntur; hinc durities, renixuſque partis.

4. A renixu, pulſu & compactu, attritus fit ingens partium liquidi inter ſe in ſolidum, & ſolidi in illas; inde calor & æſtus.

5. A ſanguine rubro accumulato, valido impulſu, & attritu rubedo ſplendens.

6. Sanguis a corde pulſus, ingreſſus vaſa obructa, nec ultra obices progredi valens, latera vaſorum impetit, dilatat, fibraſque nerveas magis diſtendit; inde augmentum doloris, qui idcirco pulſatilis dicitur.

7. A fibris irritatis & ſanguine celerius per vaſa libera acto, qui a venis revehitur, pulſus acceleratur. Plurima alia accidunt ſymptomata, quæ a majori vel minori doloris intenſione, indole partis affectæ, diverſa tumoris magnitudine, ejuſdem ſitu, nec non varia humorum craſi, & morborum complicatione fiunt.

DE PHLEGMONE.

DIAGNOSIS.

Phlegmone ſuis ſignis in definitione allatis facile dignoſcitur; dum minor eſt, ſedem habet in cute; major vero profundius latet in membrana adipoſa; ſi ſimul magna & profunda admodum doleat, ſignum eſt carnes ſeu muſculos affici; ejus ſpecies facile diſtinguuntur, cognitis ſymptomatibus, quæ cuilibet ſpeciei propria ſunt: phlegmone critica eſt, dum ea erumpente & creſcente, morbus cui ſupervenit, mitigatur, aut tollitur; ſecus, ſymptomatica eſt dicenda; a prægreſſis & concomitantibus ſigna cauſarum deſumenda ſunt.

PROGNOSIS.

Phlegmone quatuor modis terminatur, reſolutione, ſuppuratione, gangræna & induratione. Reſolutio omnium melior raro contingit; hæc in principio tantum accidit; ſuppuratione ſæpius phlegmone ſanatur; modus omnium pejor eſt gangræna & mortificatio. Demum phlegmone induratur, ſeu in ſcirrum convertitur, diſſlatis æſtu & calore nimio partibus ſeroſis; fluida hærentia, lympha præſertim, concreſcit & induratur. Ut certior ſtatuatur hujus prognoſis, ad ſymptomatum vehementiam, tumoris extenſionem & ſitum, cauſas eam producentes & præprimis ægri temperiem, & variam humorum craſim præcipue attendendum, cum ob hæc diverſus ſit eventus, & phlegmone modo ſit affectus levis & benignus, modo gravis & dubius, quandoque periculoſus. Demum plures ſimul vel ſucceſſive in cute erumpentes phlegmones, pravam humorum craſim indicant, ita a periculo immunes penitus non ſunt. Phlegmone critica ſemper ſalutaris.

CURATIO.

Si phlegmone febrem habeat comitem, diæta tenuis, humectans & refrigerans præscribenda est; ea vero absente, diæta media æger utatur, seu offis jure carnium paratis, cremoribus oryzæ & hordæi vescatur, a vino se abstineat, pro potu sit aqua fontana, aut ptisana ex hordæo mundato, gramine arvensi, vel foliis capillorum veneris confecta; dein vena secanda semel aut bis, imo pluries iteranda, si febris adfuerit, intestinorum sordes clysteribus evacuandæ, dolor convenienti narcoticorum dosi compescendus: si saburra in primis viis lateat, ea quam cito purgantibus & emeticis evacuanda, ne morbus pejor, febris scilicet putrida vel maligna phlegmone superveniat.

Præmissis sic generalibus, ut accurata instituatur curandi methodus, tria tempora hujus tumoris sunt observanda; principium, augmentum, & vigor seu status.

In principio resolventia applicari possunt, modo phlegmone critica non sit, nec admodum sæviant cum febre symptomata; mitia tamen seligenda sunt, ne fluida accumulata subito æstu commota, vasa acrius stimulent, sicque gravior evadat inflammatio; ab astringentibus vero abstinendum, ne fluida hærentia nimis coeant, & vasculorum obstructiones augeant; resolventia quæ tunc adhiberi possunt, sunt quatuor farinæ resolventes dictæ, flores sambuci, stercora animalium, equi, muli, bovis in vino decocta, agresta, hyoscyamus, ex quibus cataplasmata fiunt tumori imponenda.

Conducunt etiam emplastra resolventia, ut emplastrum de cicuta, de sulphure, de sapone, de Vigo, &c. Hæc tamen caute adhibenda, ne inflammationem intendant; idcirco, his admotis, si

ſi calor, dolor, & rubor exacerbentur, illico ab iis abſtinendum; ſecus vero ea imponi poſſunt, donec reſolutio integra obtineatur.

Aſt ubi incrementum ſuſcepit tumor, magiſque ſæviunt dolor, calor, rubor, ceteraque ſymptomata, magis lenire & temperare oportet, quam reſolvere; idcirco lenientia reſolventibus ſunt admiſcenda; in hunc finem cataplaſma de mica panis ſic parabitur.

℞. *Mic. panis alb. lib. ſem. flor. melilot. & chamæmel. ana m. ſem. coq. in lact. vaccin. vel caprill. lib. ij. ſub fin. coction. add. ovor. vitell. ij. croc. oriental. inciſ. dr. ſem. f. cataplaſma.*

Vel ſequens paretur, quod priori non ſemel utilius fuit.

℞. *Folior. hyoſciam. inciſ. m. i. flor. ſambuc. m. ſem. farin. ſemin. lin. & fænugræc. ana unc. ij. coq. in lact. recent. lib. iij. add. ovor. vitell. ij. f. cataplaſma.*

His irritis, ſi phlegmone ad vigorem perveniat, ſuppuratio cito expectanda, quæ finis morbi erit, idcirco promovenda & acceleranda puris confectio; id præſtabunt emollientia & maturantia vulgo dicta; tunc unguentum ſuppurativum tumori imponendum, inſuper admoto cataplaſmate de mica panis, vel ſequens parabitur vulgo ſuppurans vel maturans dictum.

℞. *Radic. lilior. albor. recent. lib. i. fol. malv. branc. urſin. & acetoſ. ana m. i. coq. in aq. fontan. ad putrilagin. tunc in mortar. marmor. contuſa trajiciantur per ſetaceum, extrahatur pulpa.*

℞. *Illius pulpæ lib. i. unguent. ſuppurativ. unc. i. theriac. veter. dr. ij. adip. ſuill. inſulſ. & ol. lin. vel roſac. q. ſ. miſc. f. cataplaſma parti imponendum, bis vel ter in die mutandum.*

Id cataplaſma adhibendum, donec ſigna ſuppurationis apparuerint, quæ mitigatis, vel fugatis calore, dolore, rubore, cum tumoris mollitie, & fluctuationis ſenſu indicabitur, tuncque abſceſſus erit aliis inferius exponendis auxiliis ſanandus.

Si humor accumulatus ſit acer, valde agitatus, obſtructio magna, vaſa rigidiora, omnia ſymptomata vehementiora, tunc vaſcula ſubito rumpuntur, liquida putreſcunt, ichor effuſus ſub epidermide in bullas colligitur inſtar loturæ carnium, vel ſaniei flavæ; ater fit color partis; rubor, dolor, calor, pulſatio evaneſcunt; tumor in loco affecto fere deſinit; fit mors partis affectæ, gangræna vocatur; utprimum ſigna gangrænæ incipiunt, dum tumor ex rubro fit ater, humores diluere, vaſa rigida laxare oportet, tunc cataplaſma de mica panis ſimplex, in quo lenticulæ paluſtres decoquentur, parti imponendum; conducunt quoque pulpa althææ, ſperma ranarum, oleum amygdalarum dulcium; ex iis cataplaſma, vel unguentum parabitur addita cera nova, quod ſæpius tumori illiniendum eſt.

ARTICULUS PRIMUS.

De Furunculo.

FUrunculus eſt tuberculum in acumen protuberans cum inflammatione, rubore intenſo, magna duritie, ſummo dolore, ovum columbinum magnitudine plerumque non excedens. Furunculus alius eſt malignus ac vehementius dolens, alius benignus ac mitis; quandoque unus, plures aliquando ſimul vel ſucceſſive erumpunt. Ubi furunculus apertus eſt, & exit, fluitque pus, ſubter apparet pars corrupta ſubalbida, ſubrubra, quam ventriculum furunculi quidam nominant: in eo pus ſpiſſum, coctum, concretum quaſi ſolideſcens continetur, quod exit magna preſſione facta, nec ulcus mundificari & conſolidari poteſt, niſi eo extracto.

Furunculus ex allata definitione facile noſcitur, differt a phlegmone, quia tuberculum eſt in acumen protuberans, ovum columbinum magnitudine non excedens; iſta vero tumor eſt major, non ita acuminatus: in furunculo magna durities, cum rubore intenſo, & ſummo calore obſervatur, quæ in phlegmone in remiſſiori gradu ſunt: ex vehementia ſymptomatum, an furunculus ſit malignus, vel benignus judicatur. Signa cauſarum ex prægreſſis, ægri temperie, & ætate petuntur.

Furunculus nullum affert periculum, tametſi nulla curatio adhibeatur; matureſcit enim per ſe, atque erumpit; ſed dolor efficit, ut potior medicina ſit, quæ maturius liberet: ubi vero febris cum ſummo dolore recurrit, gravior fit morbus, neque tamen valde periculoſus, niſi febris ipſa gravia producat ſymptomata: dum plures ſimul, aut ſucceſſive erumpunt, nulla febre præſente, nullum quoque

que periculum, arguunt tantum malam humorum crasim, eamque emendandam esse, ne gravior morbus furunculo succedat.

CURATIO.

Furunculus benignus nullo plerumque eget auxilio, & per se sanatur; interim ut suppuratio citius accidat, ei imponendum est emplastrum de diapalma, aut diachylon gummatum, donec suppuratio finita sit.

Si furunculus sit malignus & febrem adjunctam habuerit, diæta tenuis & humectans imperanda, sanguis quoque mittendus; imo repetenda venæ sectio, quantum vehementia symptomatum exigit, & vires ægri permittunt: narcotica quoque dosi convenienti exhibeantur, ut dolor mitigetur, somnusque ægro concilietur: tandem quam citius promovenda tumoris suppuratio, quod Medicus obtinere poterit cataplasmate de mica panis & unguento suppurativo admotis, vel sequens ad hunc finem paretur.

℞. *Limac. n. viij. testa ablata conterantur, rite contusis; adde fermentum vetus ad magnitudinem nucis, unguenti suppurativi unc. ij. cum s. q. ol. commun. mis. fiat unguentum.*

Aliquando pulpa caricarum pinguium applicata furunculo prodest; quidam picem navalem imponere suadent, attamen cautissime est adhibenda, ne acredine sua partem inflammatam nimis irritet & gangrænam inducat; facta suppuratione, pus uno aut plurimis foraminibus exiguis erumpit, quibus abscessus integre evacuari non potest; pars tantum puris fluidior exit, crassiore & spissiore intus remanente; idcirco ut abscessus perfecte mundifi-

Ca-

cari & detergi poſſit, tumor lanceola debite incidendus, factaque ſufficienti apertura, pus facile exibit, ulcus deinde curabitur, ut inferius dicetur, dum de abſceſſu; facta tamen ſuppuratione, & ad illam ulterius promovendam ſequens applicetur unguentum.

℞. *Pulp. radic. lilior. unc. i. unguent. baſilic. q. ſ. f. unguentum.*

ARTICULUS II.

De Panaritio, ſeu *Paronychia.*

PAronychia eſt tuberculum cum inflammatione, rubore & duritie inſigni in extremis digitis ad latera unguium ortum, & graviſſimos dolores excitans.

Cum furunculo in omnibus convenire videtur, a quo differt ratione ſedis, quia paronychia in extremis digitis ad latera unguium ſemper oritur.

Paronychia ratione vehementiæ ſymptomatum duplex eſt, una mitior, dum ſymptomata non multum ſæviunt; alia gravior & maligna, quæ graviſſima ſymptomata habet adjuncta; prior in cute ſedet, & partes ſubjacentes leviter lædit; altera profundior, tendines, perioſtium & oſſa afficit.

CAUSÆ.

Paronychia & furunculus eaſdem habent cauſas internas. Sunt externæ quædam, quæ digitos lædendo paronychiam producunt, ut punctura, vulnera, contuſiones, ligaturæ, pellis, ſquamarum avulſio, acria digitis applicata, vel digitorum in liquidis acrioribus im-

immerſio diuturna, aut aſſiduus eorum corporum contactus, quæ paronychiam abſque ullo ſanguinis vitio parere poſſunt.

SYMPTOMATA.

Is tumor ſi mitis & benignus fuerit, eadem fere ac furunculus ſymptomata habet, ſi dolorem & calorem excipias, qui in paronychia majores ſunt; eſt dum tumor profundior tendines ac perioſtium afficit, ob exquiſitum partium affectarum ſenſum plura & graviora ſymptomata parit mox recenſenda.

1. Dolor atrox & acutiſſimus, quia fibræ nerveæ admodum ſenſibiles valide diſtrahuntur, & ruptioni propinquant; is febrem, vigilias, motus convulſivos & ſypothimiam quandoque parit; fit a ſanguine appellente, vaſcula obſtructa non meante, ad liberiora ſubito derivato, eaque validiſſime impetente; idcirco dolor acutiſſimus cum ſenſu caloris deurentis conjunctus, quaſi pars igne fuiſſet combuſta.

2. Manus, brachium quandoque tument, & inflammantur ſuccuſſis & validiſſime irritatis fibris nerveis partis affectæ, nervi manus, totiuſque brachii in conſenſum trahuntur; inde maxima vaſculorum has partes perreptantium fit conſtrictio, quam cito ſequitur ſanguinis ſtagnatio, adeoque tumor.

3. Tantus eſt vaſculorum infarctus, tantuſque ſanguinis in horum tunicas impetus, ut ea cito diſrumpantur; inde ſanguinis effuſio, & ſuppuratio fit, quæ utplurimum in parte tumoris profundiori incipit, quia ibi majores ſunt vaſculorum infarctus.

4. Ob ſummum calorem, qui paronychiam comitatur, partes tenuiores, & ſeroſæ diffiantur, remanent craſſiores & acriores; ergo pus ex his ſa-

factum, summa acredine præditum, partes vicinas rodit, ut perioſtium, oſſa ipſa, quæ plerumque carie contaminantur; tendines quoque peſſime afficit, ita ut pus inter vaginam & tendinem incluſum, ulterius ſerpat ad manum, & ligamentum carpi; aliquando tanta eſt vaſorum conſtrictio, ut ſuppuratio fiat in dorſo, & vola manus, in brachio, adeo ut plures partes ſimul ſuppuratæ videantur.

DIAGNOSIS.

Paronychia ſignis ſuperius in definitione allatis, & præ primis dolore circa unguem intolerabili noſcitur, qui ægrum continuo afficit, & non raro ob conſenſum partium nervoſarum per totum brachium extenditur, & comitem habet febrem continuam, ac lypothimiam; an a vitio ſanguinis, ana cauſa externa producatur, Medicus ex relatu ægri facile aſſequi poterit.

PROGNOSIS.

Quo humor tumorem pariens magis, vel minus acer, eo malum mitius, aut deterius, itaque prognoſis ſymptomatum vehementiam ſequitur, dum dolor adeo ſævit, ut vigilias, motus convulſivos, lypothimiam pariat, & brachium admodum tumet, magnum imminet periculum; quandoque æger morbi vehementia occumbit, ſi pus in profundo factum tantæ ſit acredinis, ut perioſtium, oſſaque ſubjecta rodat, aut inter tendines, eorumque vaginam ſerpat, & manum graviter afficiat; mortem minatur ægro.

CURATIO.

Si paronychia mitis fuerit, eadem auxilia adhibenda, quæ ſuperius propoſita ſunt, dum de furunculo. Si gravior & maligna, præſcripta diæta tenui & refrigeranti, ſanguis detrahendus, dolor narcoticis compeſcendus, cataplaſma de mica panis tumori imponendum, foliis hyoſciami additis, vel ſequens paretur.

℞. *Caricas pingues n. xx. coq. in lact. vaccin. vel caprill. lib. iij. ad conſiſtentiam cataplaſmatis, ſub fin. coction. add. flor. ſambuc. m. ſem., diſſolv. laudan. opiat. gr. vj. f. cataplaſma.*

Cataplaſmati de mica panis adjungendus eſt crocus orientalis, ad debellandam ſanguinis diſpoſitionem gangrænoſam.

Interim non ſunt exſpectanda ſigna evidentia ſuppurationis, quia pus in profundo tumoris loco plerumque efficitur; idcirco perioſtium, oſſa, tendines graviter afficit, priuſquam ſuppuratio exterius appareat; ergo tumor hic ante perfectam maturitatem aperiendus; id tutum ac unicum remedium eſt ad ſedandum dolorem, & ſupra dicta ſymptomata præcavenda. Tumor hic alia ratione aperiendus eſt, qua cæteri abſceſſus; quia non ſemper facile eſt de loco ubi pus reſidet judicare, quippe quod quantitate exiguum, profundum adeo, & oſſi proximum eſt; ſectio igitur facienda eſt in medio tumoris, in anteriori digiti parte, non longe a digiti extremo, ad os uſque, dein ulcus convenienter curandum.

Si negligentia ægrotantis aut Chirurgi ſyderatus fuerit digitus, extirpetur; niſi ob ægri reſiſtentiam totum negotium naturæ committere placeat, quæ ſæpius officulum corruptum ſeparat, ejicitque.

Dum

Dum pus tunicas inter & tendines ſerpit, illico eorum vagina ſecanda, ut pus facile exire poſſit; & ſi pus in pluribus locis ſeparatis ſimul contineatur, ea incidere oportet, ut facilis puri exitus pateat; demum incidendæ ſunt partes ſuppuratæ, donec ultimus ſuppurationis terminus ſit repertus; tunc ſuppuratas partes decocto convenienti lavare neceſſe eſt, uti decocto hordæi, melle narbonenſi addito & admixto. Si in partibus ſuppuratis putredo quædam ſit, decoctum parabitur ex hordeo, radice ariſtolochiæ rotundæ follis ſcordii, centaurii minoris, & abſinthii, admixto melle; poſtea vulneri imponendum balſamum Arcæi, vel digeſtivum compoſitum; bis in die vulnus deligandum eſt, & qualibet vice manus immittetur in aquas bellilucanas calidas, per horæ quartam partem, quo nullum eſt præſtantius topicum ad ulcus detergendum & mundificandum. Attamen remedia interna non negligenda ſunt, tum ad partes impuras ſanguinis emendandas & evacuandas, cum ad ſanguinem edulcorandum; ad id obtinendum laudantur juſcula cancrorum fluviatilium; dein lac aſininum, vel vaccinum eburyratum præmiſſa convenienti purgatione, ne lac in ſtomacho aceſcat.

Sedatis diris ſymptomatibus, applicandum unguentum baſilicum, cui admiſcetur æqualis quantitas butyri recentis, ne nimis irritet: ſi dolores & lypothimiæ ægrum corripiant, ægerque quaſi in mortis procinctu videatur, cataplaſma emolliens incunctanter applicandum, cui opium ad dolorem compeſcendum admiſcetur. Vel

℞. *Folior. hyoſciam. vel ſolan. ſcandent. bacciſer. m. ſem. aut m. j. ſub cinerib. coct. contund. ad putrilaginem, lacte copioſe irrora, fiat cataplaſma.*

Paronychia aperienda eſt ubi primum æger perſentit dolorem; vulnere facto applicanda mixtura ex theriaca veteri & baſilico.

ARTICULUS III.

De Carbunculo ſeu *Anthrace*.

CArbunculus eſt puſtula dura, obſcuro rubore, dolore deurenti prædita, veſiculam in faſtigio habens lividam, ſub qua gangræna vel ſphacelus invenitur cum partium circumjacentium intumeſcentia; quandoque tumor eſt ovo gallinæ major, cum ſumma duritie, rubore obſcuro, dolore admodum deurente, veſiculam in ſummitate habens lividam, ſub qua gangræna vel ſphacelus reperitur, cum maxima partium vicinarum, circumjacentium & remotarum quandoque intumeſcentia, graviſſimiſque ſymptomatibus.

Differentiæ & cauſæ.

Carbunculus mitis eſt vel malignus, & graviſſimus dicitur, nonnunquam peſtilens, dum a miaſmatis peſtilentibus producitur.

Verum quoniam carbunculus plurima habet ſymptomata, quæ in cæteris tumoribus inflammatoriis non reperiuntur; hæc idcirco ex indole materiei obſtruentis ſunt repetenda; quapropter cauſa proxima carbunculi eſt infarctus maximus vaſculorum ſanguineorum, & lymphaticorum & particulis fluidorum, mole nimia, duritie, acredine inſigni præditis oriunda: ſi talis materia nullatenus in ſanguine fuerit genita, vel ſi pauca fuerit materia, mitis erumpit; ſi talis materia in ſanguine copioſe

ſe fuerit genita, carbunculus malignus oritur; ſicuti omnes indiſcriminatim partes aggreditur, tum internas, tum externas; ita carbunculus internus vel externus dicitur.

Quoniam ab infarctu vaſorum ſanguineorum lymphaticorum omnis tumor ortum habet, ita & carbunculus ab horum vaſorum infarctu proxime producitur. Materiam carbunculi in maſſa humorum congerunt æſtas calidior, repentinæ aeris mutationes, temperies aeris calidior & ſiccior, exercitia immodica, vigiliæ diuturniores, potus nimius liquorum ardentium, uſus ciborum acrium, piperatorum, carnium fumo & ſale induratarum, vel putreſcentium, piſcium in lacubus aut paludibus degentium, aut corruptorum; tandem carnes animalium carbunculis extinctorum.

SYMPTOMATA.

1. Tumor magna duritie præditus eſt, ob ſummam repletionem vaſorum, & diſtenſionem, quæ quam maximi vaſculorum infarctus eſt effectus.

2. Color eſt obſcuro-ruber, quia partes ſanguinis undique preſſæ, haud effluere valentes compinguntur, adunantur, & in globulos majores coeunt.

3. Dolor eſt deurens, quia vaſa repleta, maxime diſtenta in contractiones potentes nituntur, partibus duris, aſpera ſuperficie donatis applicantur, quibus fibræ rumpuntur aut divelluntur.

4. Veſicula in ſummitate fit a lympha præ nimio calore effervescente, cuticulam a cute ſeparante: hæc vero livida apparet; quia pars ſubjacens, gangræna aut ſphacelo correpta livet: gangræna autem fit, quia tantus eſt vaſorum infarctus, & materia infarciens in horum cavitatibus adeo impacta, ut nullum tranſitum fluidis appellentibus præbeat: ceſſat igitur fluidorum circulatio,

ſimulque vaſculorum tunicæ in minimas particulas lacerantur; unde mors partis incipiens vel perfecta, ſive gangræna vel ſphacelus.

5. Hæc ſi in gradu maximo adaucta ſint, malignum carbunculum conſtituunt, tuncque partium circumjacentium, imo earum, quæ a carbunculo magis diſtant, magna fit intumeſcentia, cum partium tumentium livore aut pallore, cum viridi aut luteo colore permixto: hæc partium vicinarum intumeſcentia tanta quandoque eſt, ut erumpente carbunculo circa claviculam, dorſum, brachium ejuſdem lateris, caput imo & nonnunquam totum corpus tumeat. Hæc partium intumeſcentia a peſſima fluidorum craſi, & a ſubito debilitato ſolidorum elatere oritur.

6. Vires proſtrantur, pulſus admodum debilis eſt, ſæpe inæqualis & intermittens; pallet facies, totum corpus riget, peſſime mutata humorum craſi, in ſanguine non elaboratur lympha defecatiſſima nervos repletura, qui idcirco laxantur; iis vero laxatis elater cæterorum vaſorum minuitur; ergo ſanguis in vaſis debiliter preſſus, lente ad cor reducitur; quod idcirco debiliter dilatatur & contrahitur; ergo ſanguis debiliter, & inæqualiter per arterias fertur ad partes; unde pulſus debilis, inæqualis, intermittens; ex quo ſequitur virium proſtratio, pallor faciei, partiumque externarum frigus, quibus ſæpe lypothimia adjungitur.

DIAGNOSIS.

Carbunculus ex dolore deurente, calore obſcuro rubro, & præprimis ex veſicula livida, ſub qua gangræna vel ſphacelus latet, noſcitur; an mitis, an malignus ſit, ſymptomatum vehementia, necnon partium vicinarum intumeſcentia demonſtrant. Peſtilens cum peſte tantum recurrit; carbunculus, qui

qui partes internas afficit, ita intus latet, ut vix noſci poſſit, niſi poſt mortem, ſecto cadavere.

PROGNOSIS.

Carbunculus mitis in cute erumpens plerumque ſanatur; ſi cavitatem oris, vel oculos occupet, majus eſt periculum, & ſæpe cæcitatem, aut mortem parit. Dum malignus carbunculus ſævit, tunc ob vehementiam ſymptomatum, magnum imminet inde periculum: ſi pulſus debilis, inæqualis, intermittens ſit, & ſi intumeſcentia ad partes etiam remotas extendatur, externa rigeant, palleat facies cum ſumma virium proſtratione, mortem cito venturam time. Et ſi his delirium adjungatur, de ægri ſalute deſperandum; potiſſimum ſi ambuſto carbunculo non fiat eſcharæ ſeparatio, & nulla appareant ſuppurationis ſigna, parſque ſicca videatur. Carbunculus qui partes internas infeſtat, lethalis eſt; quia nulla poſſunt applicari remedia, quibus gangræna ſanetur, & ſanies quæ ex veſicula rupta exit, intus retenta partes vicinas corrumpit; eo citius ægrum jugulabit, quo pars affecta præſtantioris uſus erit; plures ſimul erumpere carbunculos malum.

CURATIO.

Si carbunculus mitis fuerit, diæta media præſcribatur, ſeu æger a carnibus ſe abſtineat, & modice cibetur; ſi vero malignus, diæta tenuis ſit; pro potu, decocto raſuræ cornu cervi utatur, vel aqua pura fontana; juſcula ex carne vervecina & gallinacea conficiantur; ter in die adeps viperæ vel ſerpentis ad magnitudinem ovi columbini juſculo addatur; venæ ſectio, utpote in hoc affectu nocua, omittatur; ſi ſaburra in primis viis copio-

ſe lateat, emetico & cathartico medicamento illico evacuanda eſt; ſecus vero purgantia exhibere non convenit; ſequens paretur potio, qua æger per intervalla cochleatim utatur ad vires refocillandas, humores craſſos, & torpidos dividendos, movendoſque; demum ad diaphoreſim promovendam, qua ſecretio nulla in hoc affectu utilior.

℞. *Aq. ſcabioſ. unc. iv. aq. naph. anc. j. thriac. veter. dr. j. confect. alkerm. & pulver. viper. ana ſcrup. ij. aq. cinnamom. dr. j. ſal. volatil. viper. dr. ſem. f. pot. cochleatim ſumenda.*

Præſcripta diæta, medicamentiſque ad interiora pertinentibus, ſollicitus ſit Medicus de tumore ſanando, gangræna eradicanda; nihil melius eſt quam protinus adurere; neque id grave eſt, nam non ſentit, quoniam ea caro mortua eſt, & finis adurendi debet eſſe, quando ex omni parte ſenſus eſt doloris, & caro mortua, ſive eſchara ſeparatur a viventibus, & ſuppuratio in pluribus punctis apparere incipit. Verum ſi applicatis eſcharoticis, caro ſicca maneat, nullumque ſit ſuppurationis ſignum, cæteris interim perſeverantibus graviſſimis ſymptomatibus, ſignum lethale: id enim ſignificat abolitum fere ſanguinis circuitum, ac propterea gangrænæ & ſphaceli augmentum.

Inter remedia eſcharotica laudantur lapis cauſticus, infernalis, ſublimatum corroſivum, butyrum antimonii, arſenicum, ejuſque præparationes; id tamen caute adhibendum, ne in vaſa ſanguifera ingreſſum, in partibus internis vires ſuas exerceat; ignis quoque ſeu cauterium actuale proderit: quandoque tuta medicina eſt radicitus carbunculum cultro auferre, deinde ulcus, ſicut cætera ambuſta curandum eſt. Sequitur enim ſub medicamentis corrodentibus cruſta, quæ undique a viva carne di-

ducta, trahit ſecum quidquid corruptum erat, puruſque jam ſinus curari poteſt; ut autem cruſta citius decidat, ſequens paretur unguentum, quo eſcharæ ſeparatio promoveatur.

℞. *Butyr. inſulſ. & unguent. ſuppurativ. ana unc. ij. theriac. veter. dr. ij. ovor. vitell. n. ij. miſc. fiat unguentum.*

Hoc unguentum eſcharæ illiniendum, impoſito cataplaſmate ſuppurante, ut ſupra, dum de phlegmone: hæc bis in die mutanda, donec pus omni parte depluat; certa eſſe fiducia poteſt, vitioſa caro undique excidat; ſi id non fit, malo vincitur medicamentum: deinde ulcus, ſicut cætera aduſta ſanandum eſt; id obtinetur impoſito digeſtivo ex aloe & myrrha compoſito, vel balſamo Arcæi, & unguento ægyptiaco ad partes æquales permixtis: id efficaciter quandoque præſtat mundificativum de apio: item balſamum viride Metenſium; tunc negligendæ non ſunt lotiones ex plantis vulnerariis paratæ, ut putredo ex ulcere arceatur.

ARTICULUS IV.

De Bubone.

BUbo eſt tumor glandularum rubicundus, dolens, calens, renitens, ex ſanguine in illis congeſto ortus. Afficit plerumque glandulas inguinales, axillares parotides, tuncque parotis vocatur; aliis namque in glandulis vix unquam, aut ſaltem raro bubones fiunt: inſuper bubones critici ſunt, vel ſymptomatici, venerei, aut peſtilentes, majores vel minores, mites aut maligni. Bubo tumor eſt in ſuo principio

exiguus, renitens, leviter dolens, nullatenus fere calens & rubicundus; tumore crescente dolor & calor crescunt, ruborque fit quasi rosaceus; dum tumor ad majorem molem perducitur, dolor, calor, & rubor prætermodum augentur, ex quibus patet bubonem phlegmonem esse in partibus glandulosis ortam.

CAUSÆ.

Ex modo, quo bubo incipit ac crescit, cum glandulas semper afficiat, inferre licet hunc a lympha vascula glandularum permeante, crassiori & spissiori produci, quæ vasa sua opplet, & dilatat, vasaque sanguifera premendo sanguinis circulationem in glandulis impedit, & retardat, adeoque causa proxima bubonis est sanguinis in glandulis affectis hærentia, a vasis lymphaticis dilatatis sanguifera comprimentibus orta.

Plura sunt, quæ lymphæ, ut hæreat in glandulis, occasionem præbent; ut ictus, contusio, pressio glandulis illata, aut resolventia acriora, ad earum tumores scirrhosos resolvendos applicata; item vulnera, punctura, quæ naturalem glandularum elaterem frangendo, aut vascula ipsarum solvendo, vel irritatione crispando, lymphæ motum in his retardant, vel lympham spissam & remorantem commovendo, & expandendo, vasorum sanguineorum compressionem subitaneam pariunt.

Plerumque lymphæ spissitudo a causa interna producitur, ut a viru venereo, pestilenti, scrophuloso, scorbutico, vel a suppressa evacuatione quadam, quæ partes duras, mole, figura irregulari donatas intra vasa sanguifera copiose congerit, partemque lymphaticam depravat; idcirco bubones non raro fiunt in variolis, febribus ardentibus, putridis, & malignis; imo febribus intermittentibus

bus diu pertinaciter perſeverantibus, nonnunquam bubones erumpunt, quibus morbi ſolutio fit.

Ad bubonem diſponunt curæ, ſollicitudines, vigiliæ immodicæ, peſſima victus ratio, ut eſt potus nimius liquorum ardentium, uſus ciborum acrium, ſalſorum, piperatorum: his vero fit, ut lympha partibus duris craſſioribus gravidata, aut ſero ſuo orbata, minus fluxilis ſit, ac per vaſa tortuoſa mirifice inflexa, quibus glandulæ conflantur, difficile volvatur.

SYMPTOMATA.

Bubonis ſymptomata explicare neceſſe non eſt, cum hæc ex iis, quæ de phlegmone dicta ſunt, facile deduci poſſint; id tantum notare oportet, bubonem eſſe magnum tumorem, ejuſque ſymptomata lentius vigorem acquirere quam phlegmones, quod profecto ex molli & ſpongioſa glandularum fabrica, & indole humoris peccantis, ſeu lymphæ, eſt deducendum.

DIAGNOSIS.

Bubo tumore inflammatorio glandularum inguinalium, axillarum, parotidum, &c. facile noſcitur; qui in glandulis inguinalibus ſedet, cum bubonocele confundi poteſt, a quo ſitu partis affectæ, modo quo tumor invadit, & ſymptomatum diverſitate, diſtinguitur. Bubo glandulas inguinales ſemper afficit; bubonocele aut in arcu Fallopii, aut in foramine muſculi obliqui majoris ſemper erumpit: bubo incipit a tuberculo leviter, aut nullatenus dolente, quod deinde per varios magnitudinis gradus lente tranſit; bubonocele non raro ſubito apparet, & accreſcit: demum bubo tumor eſt durus, renitens; bubonocele e contra eſt compreſſibi-

lis, & dum premitur, murmur auditur & ad ſtrepitum accedit, ac ceſſante preſſione illico reſtituitur, ſi ab inteſtino prolapſo fiat; ſi vero ab omento producatur, tumor eſt mollis & inæqualis; an bubo venereus, an peſtilens ſit, ex ægri relatu, aut peſte tunc vigente noſcitur? An criticus, an ſymptomaticus, qui alteri morbo, & ſæpe acuta ſupervenit; ſi prior morbus tollatur, aut mitigetur, criticus eſt dicendus; ſecus vero, ſymptomaticus. An mitis, an malignus ſit, ex majori vel minori ſymptomatum vehementia noſcitur.

PROGNOSIS.

Bubones benigni periculoſi non ſunt, niſi tarde diſſipentur, aut ſuppurentur; dum diutius protrahuntur, in fiſtulas abeunt, quæ non ſolum ſunt curatu difficiles, ſed ſæpe periculoſæ, præſertim ſi bubo a viru ſcroſuloſo, vel ſcorbutico procedat; qui a viru venereo originem habet, ſæpius curatur.

CURATIO.

Bubo venereus reſolutione ſananaus eſt, ſi fieri poſſit. Secus vero, ſuppuratio facienda, aut juvanda; in utroque caſu frictiones mercuriales illico adhibere tutiſſimum eſt, ne virus venereum intus retentum, aut ſuppuranre bubone ſanguini permixtum, mala pejora producat: bubo peſtilens ſemper ſuppuratione ſanandus, & quo plures & principio morbi erumpunt, eo major affulget ſalutis ſpes. Bubones criticos ſuppuratione ſanare tutius eſt quam reſolutione, quia prava, corruptaque materia in glandulis a ſanguine depoſita, velut extra ſanguinis orbem dejecta, reſolutione tumoris iterum ſanguini redditur, quæ eadem ac ante, & forſan graviora mala efficiet. Melius eſt bubones ſympto-

ma-

maticos ſuppurare, quam reſolvere; cum aliqua portio materiæ morbificæ ſuppuratione ejiciatur, & quæ ſupererit in vaſis ſubigi, atteri & ejici poterit. Demum bubones maligni ob ſymptomatum vehementiam periculoſi plerumque in ſuppuratum abeunt, & fiſtulas, ulceraque peſſima poſt ſe relinquunt.

Utprimum bubo ad incrementum pervenit, caute notandum utrum reſolvetur an ſuppurabitur: præmiſſis itaque univerſalibus remediis, & diæta tenui, reſolventia & ſuppurantia ſunt admovenda, ut reſolutio, ſi poſſibilis ſit, obtineatur, aut ſuppuratio cito promoveatur. Jam ſuppuratione facta, & phlegmone in abſceſſum converſa, methodo convenienti abſceſſus aperiendus, ulcuſque ſanandum uti capite ſequenti exponetur.

ARTICULUS V.

De Abſceſſu & Ulcere fiſtuloſo.

ABſceſſus tumor eſt mollis, qui preſſione materiæ fluctuantis ſenſum præbet, a pure factus, tumori inflammatorio ſuperveniens.

DIFFERENTIÆ.

Abſceſſus ſimplex eſt vel tunicatus; dum materia purulenta cyſtide ſeu tunica includitur, abſceſſus tunicatus vocatur; ſecus vero, ſimplex: de abſceſſu tunicato ſeparatim agemus. Rurſus magnus eſt vel parvus; ſuperficiarius, qui in tegumentis ſedem habet; profundus qui altius deſcendit & muſculos afficit; abſceſſus cutaneus coroideus eſt, profundus vero, depreſſus.

CAU-

CAUSÆ.

Omnis abſceſſus ſupponit neceſſario tumorem inflammatorium in ſuppuratum abeuntem, ideo cauſa abſceſſus eſt ſuppuratio tumoris inflammatorii cum puris collectione. Dum ſuppuratio in tumore inflammatorio fit, vigent admodum inflammationis ſymptomata, ut rubor, calor & dolor, quibus febris & rigor aliquando adjunguntur; ſuppuratione facta, tumor molleſcit, rubor, calor & dolor remittuntur, vel evaneſcunt; ex his itaque abſceſſum adeſſe noſcitur.

SYMPTOMATA.

Abſceſſus per ſe vel per medicamenta aperitur, puſque emittit & ſanatur, ſi parvus ſit; at ſi magnus & profundus, neceſſe eſt eum cum ferro aut cauſticis aperire; ferro aperiendus, ſi recens in parte firma & elaſtica ſit: ſi vero inveteratus, aut in parte molli, & laxa accidat, cutis cauſticis adurenda; tunc major partis deperditio fit, adeoque major puri præbetur via, & uberior ſuppuratio promovetur, qua partes corruptæ a ſanis ſeparantur; aperto abſceſſu, pus totum emittendum, & jam ulcus eſt digeſtivo, vel balſamo Arcæi adimplendum, cataplaſmate maturante impoſito: ſi nulla ſit febris, ſi omnia inflammationis ſymptomata remiſerint, ſi nulla putrida aut calloſa caro, nullusque ſinus reperta fuerint, puſque leve, albicans, inodorum ſit, ulcus facile conſolidatur: ſi vero aliqua eorum, aut omnia ſimul ſuperſint, abſceſſus graviſſimus eſt & periculoſus, qui difficile ſanabitur; ſæpe febrem lentam & tabem inducit. Sæpe ob negligentiam ægri aut Chirurgi accidit, ut abſceſſus profundus diu lateat, & pus in eo contentum maximæ ſit acredinis, partes vicinas corro-

rodat, ſinuſque undique ſibi cudat, tandemque exiguo foramine cutem perforet; tunc ulcus efficitur ſinuoſum, ſive pluribus fiſtulis & cavernulis inſtructum, quarum latera dura & calloſa fiunt, orificium habens anguſtum, fundum vero latius: fiſtulæ plures aut pauciores ſunt, juxta puris quantitatem, & acrimoniam; majores, vel minores, tortuoſæ, vel rectæ, longiores, vel breviores, ad partes vicinas ſerpunt; carnes, tendines, oſſaque ſubjecta afficiunt; quandoque ex externis partibus ad cavitates internas penetrant. Harum fiſtularum latera callis ſæpe obducuntur, quia lympha ſpiſſa in his ductibus remorans, calore loci ulterius ſpiſſeſcit, & induratur; vel pus ſuo pondere vaſcula vicina premens, humores progredientes retardat, qui mora diuturniori in ſuis ductibus craſſeſcunt & denſantur; demum quia pus aſſiduo contactu vaſa exſiccat, quæ corrugata rigeſcunt.

DIAGNOSIS.

Ante omnia demitti ſpecillum in fiſtulam convenit, ut quo tendat, & quam alte perveniat ſcire poſſimus; ſimul etiam an humida, an ſiccior, quod patet extracto ſpecillo: eo quoque dici poteſt an in oſſe vitium ſit necne? Nam ſi molle eſſet, quod ultimo ſpecillo contingitur, intra carnem adhuc vitium eſt; ſi magis id renititur, ad os ventum eſt; ſi dilabitur ſpecillum, nondum caries eſt; ſi non dilabitur ſede, qua innititur, caries quidem adhuc levis eſt; ſi inæquale & aſperum ſubeſt, os vehementius eroſum eſt, aſt cartilago ubi ſubſit ipſa ſedes docet, perventumque eſſe ad eam ex renixu patet. Ex his quidem colligentur fiſtularum ſedes, ſpatia, noxæ. An vero ſimplices hæ ſint, an in plures partes diducantur, cognoſci poteſt ex quantitate puris, cujus ſi plus fertur quam

quod

quod ſimplici ſpatio convenit, plures ſinus eſſe manifeſtum eſt. An caro, an nervoſæ partes, quales ſunt membranæ, lædantur, genus quoque puris docebit; ſiquidem ex carne pus leve, album, copioſius fertur; at ex nervoſa parte, coloris quidem ejuſdem, ſed tenuius & minus pus. Horum omnium accurata cognitio uti ad prognoſim ſtatuendam confert, ita methodum, quæ cuilibet fiſtulæ ſanandæ erit conveniens, docet.

PROGNOSIS.

Ex his ſequitur variam eſſe fiſtularum prognoſim, ſi plures ſimul exiterint; ſi altius penetrantes, tendines & oſſa ſubjecta lædant; ſi ad cavitates internas penetrent, cum læſione alicujus partis contentæ; ſi æger ſenex & debilis ſit; ſi ulcus fiſtuloſum a mala humorum craſi, aut a viru ſcrofuloſo, ſcorbutico oriatur; tum curatio difficilis, plane impoſſibilis, adeoque periculum maximum, dum id ulcus a viru venereo ortum habet, major ſalutis ſpes, quia virus hoc ſpecifico remedio debellatur; ſæpe quoque per ſe ſanatur fiſtuloſum ulcus, aut medicamentis facile cedit: interim in omni ulcere fiſtuloſo multum prodeſt ægrotantis ætas, temperies, victus ratio, quæ ad id ſanandum multum conferunt aut ejus curationi obſiſtunt, ſi mala fuerint.

CURATIO.

Ut fiſtulæ ſanentur, protinus aperiendæ, & partes calloſæ auferendæ, ut pus exire facile poſſit, & ſuppuratio ex omni parte facta, quidquid malum & corruptum eſt, a ſanis ſeparet, & deſtruat; itaque demiſſo in fiſtulam ſpecillo contra principium ejus, incidi commodiſſimum eſt, dein callos fer-

ferro fecare oportet, ficque fimul aut fucceffive fiftulas incidere, donec omnes undique pateant, & medicamenta ubique applicari poffint: verum fi calli adeo duri fint, ut ferro minime incidi queant, tunc efcharotica adhibere oportet, ut lapis cauſticus, infernalis, ſublimatum corroſivum, arſenicum, & auripigmentum præparata; horum ſeligendus lapis cauſticus, vel infernalis; ad cætera tamen veniendum, ſi is lapis inutilis ſit, & ſi calli tantam duritiem habeant, ut neque eſcharoticis conſumi poſſint, tunc curandi ſunt cauterio actuali; demum quomodocumque deſtruendi ſunt calli, ut ulcus fiſtuloſum conſolidetur; nam ſi minimus ſuperſtes fuerit, & reliquum ulceris conſolidetur, brevi redibit malum a pure in parte calloſa factum & retentum.

Utprimum fiſtulæ omnes apertæ fuerint, & calli penitus ablati, tunc an pars quædam ſubjecta, ut tendo, cartilago, os, læſa fuerint, videndum: huic remediis propriis mederi oportet; at ſi fiſtulæ in carne vel tegumentis tantum ſint, eas detergere & mundificare oportet; ideo ſequens unguentum parabitur.

℞. *Digeſtiv. ſimplicis & mundificativ. de apio ana partes æquales; miſc. f. unguentum.*

Ulcus eo unguento implendum, impoſitis ſpleniis eodem obductis, quibus penicilli vino rubro tepido, aut decocto vulnerario imbuti imponentur, dein faſciis totum deligabitur; ſi caro mala, mollis, & pallida in fundo ulceris generetur, puſque non laudabile, ſed tenue & ſeroſum ejiciatur balſamum, viride Metenſium injicere oportet, ac dein ulcus more ſolito deligare. Si caro huic balſamo reſiſtat, lapis cauſticus in aqua vitæ ſolvatur, fundus ulceris filis carptis illa ſolutione imbutis impleatur, & quid-

quid

quid malum & corruptum medicamento illo deſtruatur; at ſi nullum medicaminum eorum profit, pars igne urenda, ut quidquid malum eſt deuratur & conſumatur.

Dum pus laudabile ex omni puncto ulceris fluit, carnis laudabilis generatio fit, & cicatrix cito ventura; idcirco medicamentis iiſdem uti oportet, quibus decoctum vulnerarium ex radice ariſtolochiæ, foliis ſcordii, abſynthii, ceutaurii minoris, ſummitatibus floridis hyperici in aqua hordei, aut vino albo decoctis adjungetur; demum dum ſuppurationi imponendus eſt finis, carnes undique erumpunt, & cicatrix in fundo ulceris fit; inſtituatur lotio cum aquis bellilucanis calidis, ut caro naſcens firmetur, omnis putredo arceatur, & cicatrix firma inducatur.

Interim dum fiſtulæ plures inciduntur; dum calli ſecantur, vel uruntur; dum puri exitus facilis paratur, æger diæta tenui utatur; ſi febris comes fuerit, ſanguis mittatur ſæpius aut rarius, juxta ægri vires, ætatem, & præcipue febris æſtum; dolor narcoticis mitigetur; in iis hærendum, donec ſanata febre, dolore remiſſo, ſuppuratione rite ſe habente, cibi abſque damno ægro concedi poſſint, præmiſſa tamen convenienti purgatione, per intervalla quoque iteranda, ſi neceſſitas exigat.

AR-

ARTICULUS VI.

De Gangræna & Sphacelo.

TUmores inflammatorii ſolent quandoque gangræna & ſphacelo peſſime terminari; ordo exigit igitur ut de iis agamus. Eſt autem gangræna mortificatio incipiens cum maxima ſenſus motuſque imminutione, partis affectæ livore, & putredine: ſphacelus vero, qui a Græcis *Neceroſis* vocatur, eſt integra partis mortificatio, cum abolitione ſenſus & motus, ſumma partis affectæ ariditate, nigredine, & fetore.

DIFFERENTIÆ.

Hi duo affectus gradu tantum differunt, omnes partes corporis, tam duras, quam molles indiſcriminatim afficiunt.

CAUSÆ.

Quandiu circularis humorum motus in partibus viget, tandiu vivunt, eoque motu ceſſante moriuntur. Cauſa ergo proxima gangrænæ erit motus circularis in parte fere abolitus, unde putredo partis ſequitur: cauſa vero ſphaceli erit motus ille vitalis abolitus cum putredine partis affectæ; hæc autem putredo quæ in gangræna, & imprimis in ſphacelo ſemper obſervatur, fit dum fluida in vaſis ſuis remorantia motu inteſtino ita mutantur, ut horum partes a nexu mutuo diſſocientur, ſalinæ acres ſui juris factæ undique avolent, vaſaque in minima fragmenta diviſa deterantur & deſtruantur.

Gan-

Gangræna a cauſis internis & externis producitur; externæ ſunt ligaturæ, compreſſio valida, contuſio, ictus, morſus animalis venenati, præſertim frigus diu paſſum, frigida partibus applicata, vulnus male curatum, oſſium fractura complicata, aſtringentia, reſolventia potentiora tumori inflammatorio applicata; demum ambuſtio magna & enormis, quorum agendi ratio ſola expoſitione patet, cum quilibet facile intelligat quo modo ab iis fluida, ſolidaque affici poſſint, ut gangræna & ſphacelus producatur.

Internæ cauſæ ſunt quæcumque ſanguinis craſim vitiare poſſunt, humorum fluiditatem alterando; ita ut partibus conſtent tenuibus, ad fluendum idoneis, alteriſque craſſis, ad hærendum, vaſculaque obſtruenda aptiſſimis, textuque gaudeant laxo, facile diſſolubili, unde magna fit partium tenuium jactura, unctuoſarum & balſamicarum conſumptio, ſalino acrium exaltatio, & extricatio; inde humores ſic conſtituti in vaſculis facile hærent, hærentes putrefactionem facile concipiunt, ſanguinem partibus ſuis tenuibus, balſamiciſque ſic orbatum nonnulli gangrænam vocant, quatenus ad gangrænam inducendam pronus aptuſque eſt: hanc peſſimam ſanguinis craſim plura producunt, ut curæ, ſollicitudines graves diu perſeverantes, vigiliæ immodicæ, potus nimius liquorum ardentium, effrenata venus, uſus ciborum piperatorum, ſale vel fumo conditorum; ſecretiones depravatæ, evacuationes ſolitæ ſuppreſſæ, cruditates putreſcentes, ſic gangræna & ſphacelus febribus putridis & malignis plerumque ſuperveniunt; eam non raro pariunt variolæ malignæ, ita & mala aeris conſtitutio, quæ morbos epidemicos periculoſos parit: ad eam contrahendam diſponunt ætas ſenilis, temperies ſicca, bilioſaque, cachexia, obſtructio viſcerum, in quibus ſanguinis depuratio fieri ſolet; ſic obſtructo utero,

utero, catameniis ſuppreſſis, gangræna facilius morbis ſupervenit; ab iiſdem cauſis fortius agentibus, & motum vitalem abolentibus fit ſphacelus.

SYMPTOMATA.

1. Gangræna eſt incipiens mortificatio, quia omnes effectus motus vitalis fere pereunt; motus autem vitalis, ſeu humorum circulatio in partibus vigere noſcitur, dum partes ſenſu & motu, calore naturali, colore florido, tenſione cum flexibilitate conjuncta ad elaterem exercendum gaudent; at eo motu fere abolito, hujus effectus fere aboleri conſequitur; ergo partis mortificationem incipere conſequens eſt.

2. Senſus & motus in parte affecta leviter exercentur; quia nervi, & fibræ muſculares arida, & in pluribus punctis lacerata functiones ſuas exercere non valent.

3. Pars affecta liveſcit, & levi contrectatione in fragmenta ſcinditur, quia ſanguis in vaſis ſuis retentus ulterius progredi non valens, hic quieſcens nec a vaſis ut antea preſſus, partium ſuarum diſjunctionem patitur, quæ confuſæ inter ſe adhærentes corpus efficiunt iners, poroſum, quaſi cadaver, adeoque lividum; ſolida vero in pluribus diſciſſa, in paucis cohærentia levi contrectatione in fragmenta ſeparantur.

4. Putredo gangrænam comitatur, quia fluida hærentia, motu inteſtino agitata partium ſuarum diſſipationem patiuntur, inde particulæ ſalinæ acres non amplius irretitæ, ſui juris factæ, cum fragmentis ſulphurearum conjunctæ præ tenuitate avolant, & odorem putridum undique ſpargunt. Hæc omnia in gangræna fiunt, ſed dum pars ſphacelo corripitur, ſequentia adjunguntur.

1. Pars arida & ſicca admodum nigreſcit, quia

abolito motu vitali, fluida ad eam non appellunt; ergo vasa humidis partibus madere & irrigare non possunt: rursus motus putredinem efficiens partes serosas, quibus vasa madebant, consumit & dissipat; quarum reparatio, abolita humorum circulatione, nulla est; ergo pars sphacelata sicca & arida esse debet, quoniam abolito motu vitali sanguis corruptus, & veluti cadaverosus in vasis omnibus hæret, inde pars nigra videtur.

2. Pars sphacelo affecta feret, etenim ob abolitum motum vitalem, major quoque putredo fit; ergo partes salino-acres magis exaltatæ majorem fetorem spargunt; solida quoque in minima fragmenta divisa, similiter corrupta ad tantum fetorem excitandum non parum conferunt.

3. Pars sphacelata incisa, nec sanguinem, nec partem lymphaticam effundit, ejicit tantum saniem serosam, putridam, flavam, & quandoque liventem, quæ parca tamen copia exit, indicium certissimum motus vitalis aboliti, sanguinis depravati, & corrupti, maximæ fluidorum jacturæ, & solidorum ariditatis & corrugationis, quæ sphaceli effectus sunt.

4. Mirum profecto quomodo sphacelus a parte in partem serpat, & quare nonnunquam tam rapidus sit ejusdem progressus, a parte externa ad internam cito perveniat: ut hujus ratio facilius pateat, annotare necessum est gangrænam & sphacelum tam celeres progressus facere, dum imprimis a depravata humorum crasi ortum habent; nam gangræna, quæ a causa externa oritur, non tam celeres, imo plerumque lentos facit progressus, & solis naturæ viribus, si ea fortis, vegetaque sit, nonnunquam sanatur; itaque cum abolitur humorum circuitus in parte sphacelata, nec sanguis appellens ejusdem vasa meare possit, ad vicina libera uberius derivare cogitur, quæ exsu-

pe-

perante humorum copia infarciuntur; ſicque multiplicatis obicibus, in iis quoque vaſis motus vitalis abolebitur, qui eadem ratione in aliis quoque vicinis vaſis abolebitur; id eo facilius fit, quo ſanguis tunc pluribus particulis duris, ſuperficie aſpera, irregulari figura, mole demum maxima præditis, plenus, ad vaſa penitus obſtruenda, & motum vitalem in iis ſuffiaminandum aptus, idoneuſque eſt; inde tantus, tamque celer ſphaceli progreſſus.

5. Plura atque graviſſima ſymptomata ſphacelum comitantur, ut ſumma virium proſtratio, lipothymia ſæpius recurrens, pulſus debilis, intermittens, externa frigeſcunt, facies pallore fœdatur; hæc profecto ab eadem cauſa procedunt, a particulis cadaveroſis e parte ſphacelata emiſſis, & ſanguini in vicinis circulanti permixtis; quæ tenuitate & mobilitate intimiorem ſanguinis textum penetrant: duritie vero ſua ejuſdem partes a nexu mutuo ſeparant, & inæqualiter dividunt; ſicque ſanguinis fluiditatem tollunt, qualitatem ejus balſamicam delent, liquidi nervoſi materiam conſumunt, vaſorum vero elaterem deſtruunt; inde nervi collabuntur; elater vaſorum debilitatur; ſanguis debiliter, & inæqualiter preſſus, lente & inæqualiter progreditur; unde proſtratio virium, pulſus debilitas & intermittentia; lipothymia tandem ſæpe recurrens, quæ ut plurimum finem vitæ imponit.

DIAGNOSIS.

Gangræna ex ſenſus, motus, & caloris maxima imminutione, livore, & putredine noſcitur; ſphacelus vero, dum omnia vitæ ſigna abolentur in parte cum ejuſdem ariditate; nigredine, & inſigni fetore. Hæc tria ultima ſphacelum diſtinguunt

a cadavere hominis recenter mortui, in quo abo-letur omnis vitalis motus, nec tamen ſphacela-tum eſt, niſi dum nigreſcit & inſigniter fetet, quæ citius æſtate, tardius hyeme, & rigente ge-lu contingunt; ex quibus liquet, tametſi in par-te ſphacelata motus vitalis aboleatur, vigere ta-men putrefactionis motum, qui disjunctionem par-ticularum fluida noſtra componentium, exaltatio-nem ſalinarum acrium, & vaſculorum in minima fragmenta lacerationem efficit. Is autem putrefa-ctionis motus a fluido æthereo inſenſibili corpora omnia penetrante, horum partes continuo impe-tente, inæqualiter dividente producitur; hinc ca-davera citius æſtate, tardius hyeme putreſcunt. Imo dum textus humorum ſtagnantium, a præ-greſſo morbo debilitatus ac mutatus fuit, putredo citius accidit; hinc cadavera eorum, qui febre putrida aut maligna graviſſima obiere, citius pu-treſcunt & ferent, quam horum qui antea valen-tes ſubito extincti fuere.

An gangræna a cauſa externa, an ab interna producatur, ex ægri relatu Medicus facile diſcet; utrum gangræna cum aliquo morbo complicetur, ejuſque ſymptomata ſit, ex prægreſſis & concomitantibus facile innoteſcit; dum gangræna exter-nas afficit partes, facile noſcitur; difficilius mul-to, dum intus latet; adeſſe tamen ſuſpicatur, quoties in parte interna acutiſſimus ſentitur dolor, cum febre acuta; ſi dolor ſubito evaneſcat, & pulſus fiat debilis, inæqualis, intermittens, cum magna virium proſtratione, extremorum frigore, pallore faciei, lipothymia ſuperveniente, necnon delirio obſcuro, tum ſubſultu partium conjuncto, tunc gangrænam intus latere Medicus merito ſuſpicari poterit.

PRO-

PROGNOSIS.

Ut gangrænæ eventus prædicetur, ad causam ipsius, ad partes affectas, morborum complicationem, demum ægrotantis ætatem & constitutionem corporis attendere necessum est. Gangræna, quæ a causa interna oritur, cæteris paribus ea periculosior est, quæ a causa externa producitur; quia crasis pessima fluidorum difficillime emendatur; ideo gangræna a vitiosis humoribus producta plurimum lethalis est. Nec minus periculum est, dum morsus animalis venenati gangrænam efficit, ob venenum morsu in fluida humana immissum. Insuper duo in omni gangræna considerandа, extensio nempe & symptomatum vehementia; quo plures afficit partes, quo vehementiora symptomata habet adjuncta, eo gangræna gravior est judicanda, quia causam fortius afficientem indicat.

Si gangræna cutem aut solas carnes occupet, minus periculosa censenda est ea, quæ nervosas partes, tendines & ossa corrumpit, tum quia ex iis difficilius eradicatur, quam e cute & carnibus; cum nervosæ partes, tendinesque plura atque majora symptomata procreent. Gangræna quæ partes internas afficit, semper lethalis est ob morborum complicationem, gravior etiam feratur gangrænæ prognosis: sic quæ a viru scorbutico & scrofuloso producitur, plerumque lethalis; quæ febribus putridis & malignis succedit, difficile curationem suscipit.

Demum senes gangræna laborantes plus pueris & adultis periclitantur, quia humores senum partibus fluidis balsamicisque orbati; vasa vero arida & corrugata gangrænæ progressui favent; pariter qui cachectici & cacochymici sunt, raro a gangræna convalescunt.

Insuper signum est lethale, si gangræna irritis omnibus auxiliis opportune & prudenter adhibitis e

parte in partem ſerpat, nulloque modo cohiberi poſſit.

Sphacelus inſanabilis eſt, quia a morte ad vitam reditus non conceditur; mox itaque pars ſphacelo correpta exſcindenda eſt, & a vivis ſeparanda. Si hæc exſciſſio facilis ſit, affulget ſalutis ſpes; ſi impoſſibilis, aut admodum difficilis, nulla, aut exigua ſalutis ſpes ſupereſt; ergo prius conſideranda ſitus, dignitas partis ſphacelatæ, cauſa ſphaceli, ſymptomata concomitantia, ægri ætas, temperies, vires; ut eventus ſphaceli prædici poſſit, & an pars ſphacelata exſcindenda ſit?

CURATIO.

Ad gangrænam curandam, cauſam remotam, ægri temperiem & concomitantia ſymptomata conſiderare neceſſe eſt; idcirco, ſi humores ſicciores & acres fuerint; ſi temperies ægri calida & fervida; ſi calor deurens per totum corpus diffundatur; ſi dolores acuti gangrænam præceſſerint; ſi partes plures gangræna divexet, diæta tenuis & refrigerans præſcribenda eſt. Aſt ſi pulſus debilis ſit, vires magis proſtrentur, palleat facies, tunc diæta paulo fortior convenit; itaque juſcula parentur cum carne vervecina, capone, gallina, aut perdice; potus ſit decoctum raſuræ cornu cervi aqua paratum, vinum generoſum identidem exhibeatur; ſequens paretur potio cardiaca cochleatim ſumenda.

℞. *Aq. card. benedict. unc. v. theriac. veter. dr. j. confect. alkerm. & pulver. viperar. ana dr. ſem. lapid. Bezoard. pulverat. ſcrup. j. lil. Paracelſ. gutt. xxx. f. potio.*

Venæſectio non convenit, niſi gangræna a plethora vel æſtu nimio ſanguinis fiat, æger juvenilis

lis ſit, & robuſto temperamento præditus, & febris vigeat cum viribus: tunc quoque parce mittendus eſt ſanguis, ne vires nimis proſtrentur, pulſuſque debilis & languidus fiat; pariter purgatio non eſt præſcribenda, niſi ſaburram copioſam in primis viis latere manifeſtum ſit.

His ita præmiſſis, partem gangræna correptam ſcalpello profunde ſcarificare oportet, inter ſanam, vitiatamque partem ita incidendo, ut potius ex ſana parte aliquid excidatur, quam ex ægra aliquid relinquatur, effluente undique ſanie ex partibus ſcarificatis: dein pars ſcarificata ſpiritu vini, in quo camphora, & ſal ammoniacum ſoluta fuere, abluenda eſt; poſtea unguentum ex theriaca veteri, & unguento ſuppurativo cum ſpiritu vini ſimul permixtis imponendum; demum cataplaſma ſequens ſuperimponetur.

℞. *Radic. ariſtoloch. rotund. & tenuis, angelic. & gentian. contuſar. ana unc. j. fol. ſcord. abſinth. & centaur. minor. ana m. i. coq. in vin. alb. lib. iv. & aq. fontan. lib. ij. ad conſumption. tert. part. ſub fin. coction. add. flor. chamæmel. & ſummittat. floridar. ſiccar. hyperic. ana m. ſem. in calatur. coq. mic. pan. alb. fruſtul. ſub fin. add. ſpirit. vin. camphorat. unc. iij. f. cataplaſma.*

Inciſiones ad gangrænam curandam utiles ſunt: 1. Ut medicamenta applicata profundius penetrent. 2. Ut humores corrupti in vaſis partis gangrænatæ hoſpitantes educantur; idcirco inciſiones profundæ fiunt, donec ad vivam partem pervenerint; pars gangrænata bis aut ter intra viginti quatuor horarum ſpatium deliganda eſt; ſæpius æſtate, rarius hyeme. Interim quia pars gangrænata arida & ſicca eſt, ideo ea identidem irriganda, exprimen-

mendo ſuper faſcias & ſplenia ſpiritum vini vel decoctum abſinthii, ſcordii, rutæ, vino albo præparatum.

Quoties pars deligatur, caute gangrænæ progreſſus obſervandi; ſi pars quædam ſphacelata ſit, illico abſcindenda eſt: ſi vero gangræna ad partes vicinas ſerpat, ſcarificationes iterum adhibendæ ad vivam uſque carnem abſcindendo. Verum ſi medicamentis & inciſionibus gangrænæ progreſſus cohiberi non poſſit, partem affectam cauterio actuali urere oportet; nihil igne utilius ad gangrænæ progreſſum cohibendum, vaſa mortua a ſanis ſeparat, & humores corruptos conſumit: ſi ignis morbum non ſuperet, quin potius ab eo vincatur, nulla ſpes ſalutis ſupereſt.

Utprimum partes mortuas a vivis ſeparari obſervatur, quod noſcitur dum linea rubra vivam inter & mortuam carnem, parſque gangrænoſa ante ſicca, humida nunc percipitur, ſuppurationem mox venturam ſpera, quæ plerumque ſalutis ſignum eſt. Dum vero pus laudabile, album, & leve ex pluribus, & fere omnibus partis gangrænoſæ punctis ſtillat, gangrænæ cohibitæ & futuræ ſalutis ſignum eſt certiſſimum, tunc diætæ præſcriptæ inſiſtere oportet, & partem affectam unguentis deligare, quæ uberiorem ſuppurationem promoveant; id efficiet unguentum digeſtivum terebenthina lota, ovi vitello, aloe, mirrha, & oleo hyperici compoſitum, vel balſamum Arcæi cum æquis partibus mundificativi de apio permixtum. Interim ut ulcus detergatur & mundificetur, decocto vulnerario toties abluendum, quoties deligabitur, ne humores corrupti, aut fragmenta vaſculorum remorantia, partes cæteras ſanas corrumpant. Tandem dum quod erat mortuum & corruptum ſuppuratione ablatum fuit, & undique bona caro accreſcere incipit, pars affecta aquis bel-

bellilucanis calidis abluenda erit, ut caro nova accreſcens ſolideſcat, & cicatrix firma efficiatur.

Dum ob frigus acrius paſſum, gangrænæ periculum imminet, Auctores graviſſimi ſuadent partes nive vel glacie trita valide per aliquod tempus fricare, donec calor & ſenſus in eis reſtituantur; affrictus validus elaterem vaſorum ſopitum exſuſcitat, humores denſatos & hærentes atterit, ad progrediendum urget, imo & miaſmata humores coagulantia movet, & exagitat quæ a nive vel glacie attrahuntur.

Alii partes frigore & gelu rigentes ſimo equino obtegunt, aut in aquam tepidam immittunt; ut calore blando & humido flexibilitas vaſorum, humorum vero fluxilitas reſtituatur. Partes autem gelu rigeſcentes ad ignem propius accedere, vel linteis calidioribus vehementer fricare nocuum eſt; calor enim nimius humores coagulatos ſubito expandit, qui vaſa rigidiora in fruſtula minima ſolvunt & lacerant.

Aſt ſi gangræna Irritis omnibus remediis, ſeu medicamentis perſeveret, tunc pars ſphacelo correpta moritur, nec eam ſervandi ſpes ulla ſupereſt; idcirco adimendum eſt quidquid ſphacelo corruptum fuit, abſcindendo in parte vivente, ne aliquid ſphaceli remaneat: ſi parte ſphacelata abſciſſa caro reliqua bona ſit, ſuppuratio maturantibus promovenda, ne humores gravi in vaſis ſanis hoſpitantes, una cum pure ejiciantur, & firma dein cicatrix fiat.

Dum parte ſphacelata abſciſſa, caro mollis pallidave apparet, conjiciendum vaſa pravis humoribus plena ad corruptionem contrahendam prona eſſe, adeoque in ea carne mox ſphacelus fiet, aut ſaltem nec pus laudabile, nec bona cicatrix exſpectanda, ſed in fetidum peſſimumque ulcus convertetur, ac propterea hanc carnem igne urere oportet,

tet, ut una cum eſchara omnia vaſa corruptis humoribus plena decidant & auferantur, relictis vaſis integris & ſanis, quibus cicatrix efficietur.

CAPUT II.

De Eryſipelate.

ERyſipelas tumor eſt ſuperficialis, colore rofaceo, calore acri, pruritu dolorifico ſtipatus, qui preſſione albeſcens, cito ea ceſſante rubore inficitur.

DIFFERENTIÆ.

Dividitur in legitimum & ſpurium, ſimplex & complicatum; legitimum jam definitum fuit: ſpurium eſt, dum puſtulæ & veſiculæ ei adjunguntur, quæ apertæ ſeroſi humoris ſpiſſi flavi aliquantulum fundunt: ſimplex dicitur, dum ſolum invadit; compoſitum quando cum phlegmone, ſcirro, vel œdemate complicatum recurrit, ita ut ii tumores non in eodem loco fiant, ſed in uno phlegmone vel ſcirrus, & in ambitu, ſeu vicinia eryſipelas; demum eryſipelas omnes partes internas & externas indiſcriminatim afficit; ſæpius tamen externas: ex his caput aut facies plerumque corripiuntur, a parte in partem ſerpit, aliquando abſque febre incipit, quæ cito accedit, ſæpe cum febre putrida aut maligna complicatur; priuſquam eryſipelas erumpat, calor & dolor tenſivus in parte fiunt, moxque apparet rubor, cæteraque ſymptomata quibus affectus declaratur.

CAU-

CAUSÆ.

Causa proxima erysipelatis est infarctus arteriarum lymphaticarum, & sanguinearum multo minor quam in phlegmone, a particulis duris, tenuibus & solidioribus oriundus, quoties lympha talibus particulis feta est; minus fluxilis fit, quia partes ejus fibrosæ compressionis minus capaces, exilissimis lymphaticorum diametris se componere nescientes in eis remorantur; inde lympha in suis ductibus lentescens colligitur, collecta vasa sua replet, & distendit, quæ sanguifera vicina comprimunt, sanguinisque motum progressivum retardant; ex eo fit, ut priusquam erysipelas erumpat, dolor tensivus majorque calor cum pruritu sentiatur.

Has partes tenues, duras, solidasque in sanguine congerunt 1. Transpiratio insensibilis ab aere frigidiori, æstuante corpore, cohibita. 2. Potus liquorum ardentium, vini meracei. 3. Usus ciborum salsorum, piperatorum. 4. Evacuationes solitæ suppressæ catameniorum, urinæ, bilis, quæ partes duras, rigidasque in sanguine retinent. 5. Exercitia immodica, vigiliæ inassuetæ, ira sæpius recurrens. 6. Cruditates amaræ præsertim & biliosæ. 7. Usus medicamentorum exsiccantium, partes serosas diffiantium, salinas vero exaltantium, quorum agendi ratio sola expositione sat manifesta est.

SYMPTOMATA.

1. Erysipelas tumor est superficialis, non vero circumscriptus, quia ob minores arteriarum infarctus, minor humorum copia in parte colligitur, minor ergo vasculorum omnium repletio, adeo-

que

que minor partis affectæ moles, quæ parum intumescit.

2. Color partis affectæ rosaceus est, quia paucæ atque tenues partes purpureæ in arterias derivatæ majori copia lymphæ innatant; ergo rubor eorum dilucidior.

3. Calor deurens in parte affecta percipitur, quia sanguis partibus durioribus fetus, accelerato progressivo motu, vehementer vasorum tunicas impetit, & vibrat, quæ pari vi in fluida contenta reagunt; unde attritus fit utriusque ingens, ac per consequens calor.

4. Pruritus molestus cum tensione dolorifica conjungitur, quia vasa tensa a particulis duris, aspera superficie præditis acrius vellicantur, vel validius oscillantia in horum asperitates impetunt, utroque enim modo vasa affici possunt.

5. Si pars erysipelate correpta premitur, rubor in hoc puncto evanescit, qui cessante pressione illico redit; quoniam enim vascula minus infarciuntur quam in phlegmone, partem erysipelate correptam facilius comprimi posse sequitur. Rursus quoniam vis premens tunicas vasorum ad sese accedere cogit; ergo vis illa fluida contenta exprimere debet, modo vasa vicina adhuc distractilia; nec maxime infarcta, fluida a vasis compressis expressa recipere valent; sed vasa pressa fluido purpureo orbata albescere necesse est; ergo albedo fiet in loco presso. Verum vi premente ablata, vasa vicina nimis repleta sanguinem sua contractione valide premunt. Hic ergo in vasa pressione exsucca ruet, quæ utpote vacua, appellenti sanguini non resistunt, quæque iterum repleta colorem rosaceum, ut ante acquirunt.

6. In erysipelate spurio pars vesiculis pluribus exasperatur, quia lympha in suis ductibus hærens, nimio partis calore fervens & calefacta, suorum du-

ductuum tunicas dilatat & expandit, & propter internodia in tumores vesiculosos attollit; ruptis vesiculis lympha spissa mora & calore loci effervescens ejicitur.

7. Erysipelas a parte in partem serpit, quia non tantus est vasculorum infarctus ut tollatur, aut maxime præpediatur motus humorum progressivus per vasa infarcta; inde fit ut particulæ vascula obstruentes iteratis vasculorum ictibus, & a columna liquidi continuo ad vascula appellentis pressæ progrediantur tandem, lente quidem, ac e vase in vas trajiciantur; ubi perinde lentescentes fluidorum moram, & collectionem pariunt; qua vero proportione nova infarciuntur vasa, altera prius infarcta liberiora evadunt, minori copia fluidi ad ea appellente; ergo pars prius tumens & inflammata fluidis hærentibus se exonerat, dum in altera inflammatio fit, sicque erysipelas propter mutuam vasorum communicationem e parte in partem serpit.

8. Qua proportione pars erysipelate liberatur, cuticula arida fit, pruriginosa, & in squamulas quasi furfuraceas decidit: fasciculi arescunt, exsiccati solvuntur, & squamulæ decidunt, rursusque aluntur; is vero tumor mutatus & spissior factus, vascula lymphatica exilissima a cute ad squamas cuticulæ protensa subire non potest; ergo fasciculi squamas cuticulæ cuti annectentes defectu humoris alibilis arescere debent.

9. Febris erysipelas semper comitatur, neque sua tempora absque febre percurrit, quæ una cum erysipelate apparente quandoque micat, aliquando id antecedit, aut sequitur; æstus vero febrilis non ab infarctu vasorum partis erysipelatosæ producitur, cum febris aliquando erupto erysipelate micet, verum a spissitudine humorum & lymphæ præsertim deducendus, quæ plurium vasculorum ob-

obſtructiones in toto corpore parit; unde motus febrilis oritur: id innuere videtur ſanguis vigente eryſipelate detractus, qui miſſus ex vena aperta in patella exceptus, frigeſcens formam albam, craſſam, duram, pellem inſtar corii fere porcini inducit.

10. Si eryſipelas eamdem partem frequenter afficiat, hujus textus adeo laxatur, & vaſa debilitantur, ut præternaturaliter accreſcat aut œdemate corripiatur.

Cætera, quæ cum eryſipelate complicantur ſymptomata, aut a morborum complicatione, aut a varia ſpecie febris cum ipſo afficientis deducenda ſunt.

DIAGNOSIS.

Ex ſignis in definitione allatis eryſipelas noſcitur, & præſertim his tribus noſci & a phlegmone diſtingui poteſt: 1. Eryſipelas tumor eſt ſuperficialis; phlegmone vero non. 2. Rubor eryſipelatis roſaceus eſt, qui preſſione facile evaneſcit, ita ut facile redeat; phlegmone vero intenſe rubet, & præ duritie preſſioni non cedit. 3. Eryſipelas a loco dimovetur, ſerpit & vicinas partes afficit; phlegmone vero in uno figitur loco, ab eoque non diſcedit. An legitimum, vel ſpurium; an ſimplex aut complicatum ex ſuperius expoſitis noſci poteſt. Si eryſipelas intus lateat, multo difficilius noſcitur, imo id noſcere quandoque impoſſibile eſt. Signa cauſarum ex prægreſſis, & ægri relatu ſunt repetenda.

PROGNOSIS.

Eryſipelas partes internas lædens, maxime periculoſum eſt, plerumque lethale, ſi partem præ-

ſtan-

ſtantem afficiat: ſecus vero, dum eryſipelas in parte externa reſidet; nullum per ſe periculum affert; inde aphoriſmi Hippocratis veritas patet dum ait, eryſipelas foras intro converti malum; intus vero foras, bonum.

Eryſipelas ſpurium, cæteris paribus legitimo gravius eſt; quo magis pars affecta tumet, eo pejus eryſipelas judicandum. Complicatum ſimplici ſemper periculoſius; prognoſim morbi ſequitur quocum complicatur. Si rubor partis Eryſipelatoſæ ſubito evaneſcat, ſi pars detumeſcat, ſi pruritus & dolor derepente ceſſent, nulla evacuatione critica apparente, nec remiſſis cæteris ſymptomatibus, malum. Hæc materiam eryſipelatis reſumptam ad interiora ruentem ſignificant.

Eryſipelas reſolutione terminari ſolet, nunquam ſuppuratione, niſi cum phlegmone complicetur; ægri negligentia, aut Medici ignorantia quandoque gangræna ſuccedit; ſi ſæpius eamdem partem afficiat, œdema poſt ſe relinquit.

CURATIO.

Ut eryſipelas rite curetur, conveniens inſtituenda eſt diæta, quæ tenuis, humectans, leviterque incidens eſſe debet; potus ſit infuſum foliorum capillorum veneris & florum papaveris rhœados, quod tepide haurietur. Diaphoretica levia identidem exhibenda, ut confectio alkermes, vel de hyacintho qualibet vice a drachma ſemiſſe ad drachmam unam: ſi ſordes in craſſis inteſtinis contineantur, clyſteris communis ope evacuandæ, at imprimis venæ ſectio illico celebranda, quæ ter, quater & amplius præſcribetur, juxta morbi vehementiam, vires & ætatem ægri.

Si eryſipelas in capite & facie ſit, ſemel aut bis ſanguis mittendus e talo, præmiſſa venæ ſectione

in

in brachio, ut ſanguis e capite ad partes inferiores revellatur; vaſis ſufficienter depletis, medicamentum purgans exhibere convenit, non ſolum ut ſaburra primarum viarum, verum etiam partes duræ, rigidæque fluidis inhærentes, lymphæ ſpiſſitudinem efficientes eliminentur, quæ purgantium viribus attritæ, & diviſæ per varia corporis cola excerni poſſunt: purgantia in eo affectu debellando maximi ſunt uſus, idcirco ea ſæpius iteranda, modo vaſa venæ ſectione ſufficienter depleta fuerint.

Si eryſipelas a cohibita tranſpiratione oriatur, pauciora ſufficiunt purgantia, ſed diaphoretica levia magis proſunt, uti confectiones ſuperius laudatæ, quibus pulvis viperinus, theriaca, antimonium diaphoreticum parciori tamen doſi adjungenda ſunt, quæ ſub forma pulveris quandoque exhibentur, vel ex iis parantur potiones cochleatim ſumendæ; ſi diaphoreſis moveatur, bonum, quia ſanguis ſarcina, qua gravatur, hac via ſæpe ſe exonerat; idcirco augenda atque juvanda eſt, hac enim via eryſipelas ſæpe ſolvitur.

Verum dum cruditates in primis viis collectæ, ibique putreſcentes, eryſipelas pariunt, ſeu dum febris putrida aut maligna cum eryſipelate complicatur, magis evacuantibus inſiſtendum; parcius præſcribenda venæ ſectio; idcirco medicamenta cathartico-emetica ſæpius exhibere oportet, etiam in principio morbi, ne putredo primarum viarum uberius ſanguini permixta morbum graviorum efficiat; inter emetica ſeligitur tartarus ſtibiatus, qui ad grana duo, tria vel quatuor cum potione purgante exhibitus mira ſæpe præſtat, materia eryſipelatis ſic diviſa paulatim e parte affecta reſumitur, a ſanguine præterfluente rapta, ad varia cola defertur, ac expellitur. Tunc igitur nullum eſt medicamentum cathartico-emetico præſtantius

ad

ad morbum utrumque complicatum ſanandum.

Medici non conſentiunt de uſu medicamentorum externorum ad eryſipelas ſanandum: quidam topica laudant, alii, imo major eorum pars improbant, & quaſi nocua damnant; qui ad eryſipelas ſanandum topicis utuntur, præſcribunt reſolventia repercutientia, aſtringentia, vel anodyna: reſolventia in eo convenire videntur, quod eryſipelas plerumque reſolutione ſanetur, & in hoc ducem naturam ſequi videntur: interim ſi natura & effectus reſolventium rite intelligantur, ea merito ſuſpecta haberi debent; id enim afferunt periculum, ut vaſa exſiccando tranſpirationem impediant, reſolutioni obſtent, & humores ſtagnantes nimis agitando ſuppurationem aut gangrænam excitent. Repercutientia maxime periculoſa habenda ſunt, cum materiam eryſipelatis ad interiora repellant, nil autem pejus eryſipelas foras intus converti. Acida vero humores in parte eryſipelate correpta cogunt atque denſant; inde quamplurima mala oriri poſſunt. Demum anodyna vaſa laxando horum oſcillationes debilitare valent, adeoque eryſipelatis reſolutionem retardant atque impediunt.

Ex his ſequitur tutius eſſe nullum medicamentum parti affectæ imponere, ejus tamen calorem convenientibus integumentis fovendo, ut facile tranſpiret; ergo eryſipelatis reſolutio a viribus naturæ exſpectanda, cui tamen auxiliari oportet diæta convenienti, iterata venæ ſectione & purgantibus, ceteriſque evacuantibus tempore opportuno exhibitis, quibus humores ſtagnantes diluti, attriti, fluxiliores facti, partim per poros cutis avolant, partim & majori copia vaſorum oſcillationibus preſſi progrediuntur, & ſanguini circulanti redduntur, ac dein per varia cola excernuntur; neque enim quidquam ab horum cum ſanguine

miſcela pertimeſcendum, cum a ſanguine circulante non reſumantur, niſi prius convenienti diviſione emendati fuerint. Interim ſi calor acrior fuerit, ſi pars affecta ſiccior, & aridior fuerit, ſi dolor gravior ſit, quædam apponi poſſunt temperantia & anodyna; tunc pars lacte tepido fovenda, vel paretur ſotus cum aquæ floruin ſambuci libra ſemiſſe, ſacchari ſaturni & camphoræ ana ſcrupulo uno: nonnunquam vidi oxycratum feliciter tunc fuiſſe exhibitum, melius tamen eſt ab eo ſe abſtinere. Si eryſipelas cum phlegmone complicetur, maturantia in uſum vocanda, ut ſuppuratio cito promoveatur. Si œdema eryſipelati ſit adjunctum, tunc ſane reſolventia locum habent, ut ſpiritus vini camphoratus, vel ſequens ſotus paretur.

℞. *Aq. ſecundæ calcis, & flor. ſambuc. ana lib. ſem. ſal. ſatur. & camphor. ana ſcrup. j. vel dr. ſem. fiat ſotus.*

Dum eryſipelas ſuppuratione terminatur, quod raro accidit, ſi ſimplex ſit, tunc pars illiniatur balſamo Arcæi, vel unguento lithargyri, vel ſequens paretur.

℞. *Trochiſc. alb. rhaſ. & thut. præparat. anæ dr. j. lithargyr. dr. i. & ſem. flor. ſulphur. ſcrup. j. camphor. ſcrup. ſem. ol. amygdal. dulc. ſine igne parat. unc. iij. ceræ albæ q. ſ. f. unguent. ad uſum.*

GA-

CAPUT III.

De Scirro.

SCirrus est tumor cuti concolor, durus, renitens, doloris expers, cum sensu aut exiguo, aut prorsus nullo.

DIFFERENTIÆ.

Dividitur in incipientem seu spurium, & confirmatum seu verum & exquisitum: incipiens, qui tumor scirrosus nominatur, partis affectæ sensum partim tollit: in confirmato seu exquisito, nullus est omnino sensus. Rursus simplex dicitur, vel complicatus: simplex, dum solus recurrit, compositus, seu complicatus, quando cum œdemate vel erysipelate conjungitur: demum primarius, si absque morbo præcedente invadit; secundarius, dum morbo alteri supervenit.

CAUSÆ.

Solet autem scirrus partes glandulosas molles, & laxas afficere; insuper a tuberculo oritur lente & paulatim crescente; ex his manifestum est hunc humorem a lympha vitiata fieri, quæ crassior & spissior facta in suis vasis lentescit, hæret, & mora ulteriori ita crasceffit, ut duram, lapideamque naturam obtineat; ergo causa proxima scirri est lympha crassior & fere indurata in suis ductibus hærens, eosque obstruens; quæcumque hanc lymphæ spissitudinem inducere valent, causæ remotæ scirri merito dicuntur.

1. Cibi acidi, crudi & austeri, ex quibus chy-

lus crudus particulis craſſis & acidis refertus conficitur, qui partes lymphæ fibroſas & glutinoſas cogendo, eam ad fluendum ineptam reddit per vaſa glandularum lymphatica mollia, parum elaſtica, admodum inflexa; inde hujus hærentia, & ductuum lymphaticorum obſtructio: eodem modo agunt cruditates acidæ primarum viarum, quibus non raro ſcirrus natales ſuos debet.

2. Febris intermittens, diu affligens, imo & quandoque continua: febris intermittens a materia craſſa, acida utplurimum ſanguini per intervalla communicata oritur; hæc vero materia partes lymphæ glutinoſas præcipue inſpiſſat, nec ea inſpiſſatio motu febrili penitus tollitur; ergo ſi febris duret, partes lymphæ gelatinoſas ſpiſſitudinem contrahere neceſſum eſt; ac proinde ſcirrus fiet, tametſi febre continua afficiente, motus febrilis major & continuus ſit; nihilominus tamen lympha ſpiſſitudinem ab ea contrahere poteſt; tum quia materia febrem continuam efficiens, ſanguine ſemper craſſior eſt, & aliquæ ejus partes, ſanata etiam febre, remanent, quæ lymphæ partes cogere poſſunt, cum æſtus febrilis ſerum ſanguinis diffflando, partes lymphæ fibroſas inſpiſſare & denſare valeat.

3. Aer nebuloſus, craſſus, humiduſque vaſa relaxat, horum oſcillationes debilitat, ſicque motum progreſſivum humorum retardat, qui leteſcentes in ſuis vaſis craſſeſcunt. Lympha vero præparte ſanguinis purpurea facilius ſpiſſeſcit. 1. Quia aptior eſt ad concreſcendum. 2. Quia movetur per vaſa debiliora minus elaſtica. 3. Quia lymphatica in glandulis numeroſa ſunt, & maxime inflexa. 4. Contextus glandularum & partium quæ ex glandulis conflantur, mollis & admodum laxus eſt. Scirrus autem glandulas, & partes quæ ex ipſis conſtant, afficere ſolet; aquæ limoſæ, paludoſæ, hunc

hunc tumorem quoque pariunt, 1. ciborum digeſtionem pervertendo; 2. partes terreas, craſſas, ſanguini ſuppeditando; quia aquæ illæ partes terreas, ſalino-fixas humorum non diluunt, quæ ideo in ſanguinis maſſa cumulantur, a quibus lympha ſpiſſatur; inde patet ratio cur incolæ lacuum & paludum ſcirro adeo frequenter corripiantur.

4. Virus ſyphiliticum, ſcrofuloſum, ſcorbuticum ſæpiſſime ſcirrum pariunt lympham cogendo, quæ a viru coagulata vaſa ſua obſtruit; docet enim experientia virus quodlibet lymphæ præ ceteris humoribus adhæreſcere, eamque in grumos & concreta convertere.

5. Scirrus plurimorum affectuum ſoboles eſt, ſic phlegmone ſcirro quandoque terminantur, ita chloroſis eum ſæpe parit; variolis etiam nonnunquam ſuccedit, ut & catameniorum ſuppreſſioni; invadit quoque poſt nonnulla animi pathemata diu afficientia; ſic triſtitia, nimia mentis attentio ad rem ingratam, melancholia demum diutius perſeverantia ſcirro originem præbent.

6. Applicata frigida, ita & aſtringentia ſcirrum producunt, quatenus humores denſant & coagulant; vaſa vero aſtringunt & rigidiora reddunt. Ex his naſcitur vaſculorum obſtructio a materia craſſa & indurata in vaſis hærente.

7. Scirrus quandoque producitur ab his, quæ ſerum copioſe diſſlando, fluida exſiccant, vaſa arida efficiunt, & corrugant. A ſeri defectu vaſa areſcere, arida corrugari, ſeu nimis conſtringi, ac per conſequens cavitates minus patentes habere manifeſtum eſt; fluida vero inſpiſſari, ſeu partes humorum lymphæ potiſſimum fibroſas, ſtrictius primo inter ſe, dein cum aliis humorum partibus uniri, & conjungi notum eſt; inde grumi & concreta fiunt, quæ vaſcula lymphatica expedite permeare non valent, quin potius obſtruunt; igitur

curæ, ſollicitudines graves diu afficientes, vigiliæ immodicæ, exercitia nimia vigente nimio calore paſſa, cibi falſi, piperati, potus nimius liquorum ardentium, uſus demum excalefacientium longior, præſertim in temperamento ſicco, bilioſo, fervidiori, ſcirro natales præbere poſſunt. His addenda indoles, fabrica partium affectarum, quæ non parum ſcirro generando favent, cum is tumor partes molles, glanduloſas, pluribus ductibus lymphaticis millies intortis, & inflexis conflatas præ ceteris firmioribus aggrediatur.

SYMPTOMATA.

1. Scirrus in principio tumor eſt exiguus, paulatim creſcens, ſeu partem affectam in tumorem ſenſibilem attollens, quia materia ſcirri lente colligitur, & accumulatur: fit enim ab humoribus craſſis lente progredientibus; ergo cito accumulari nequit; qua vero proportione colligitur, vaſa diſtendit, & molem partis ſenſibiliter auget: hæc vero materia ſcirri varios habere poteſt craſſitiei gradus; idcirco ſcirri moles modo major, modo minor eſt; dum materia craſſa, quæ vaſa obſtruit, non cito induratur, pars ſcirro correpta in molem maximam extendi poteſt; aſt dum materia brevi poſt hærentiam induratur, ſcirrus minus creſcit; id adhuc fieri poteſt a majori, aut minori copia materiei craſſæ, quæ a ſanguine in parte affecta deponitur.

2. Is tumor durus, renitenſque eſt, quia vaſa obſtructa materia replentur non amplius fluida, quæ vi vaſa prementi non cedit; ergo cum e vaſis preſſione exprimi nequeat, nihil mirum ſi tumor durus renitenſque ſit: ſed hic tumor per varios duritiei gradus tranſit, unde in principio minor durities, cum aliquo ſenſu, tuncque tumor ſcir-

ſcirroſus dicitur, dein augetur durities quæ tanta eſt, ut omnem ſenſum in parte tollat, tunc verus legitimuſque ſcirrus nuncupatur, ex omnium Medicorum conſenſu inſanabilis; quæ ut clarius intelligantur, neceſſe fore duximus modum, quo ſcirrus generatur, paucis exponere.

Scirrum vaſa lymphatica potiſſimum afficere, eumque a lympha craſſiori potiſſimum fieri ſuperius dictum eſt; vaſorum autem lymphaticorum duplex eſt genus, arteriarum nempe & venarum, arteriæ lymphaticæ ab arteriis ſanguiferis oriundæ cylendricæ ſunt; duæ vero ex his, quandoque plures in unam veſiculam, ſeu conceptaculum terminantur, ex quo vena oritur lymphatica ab arteriis lymphaticis hauſta; minus fluida eſt, ſeu ad craſſitiem contrahendam diſpoſita, in conceptaculum delabetur, ibi præ mora ſpiſſeſcet, ſeu ejus partes ſtricte invicem copulatæ particulas ſolidiores, mole majori præditas, ad fluendum minus idoneas component, quæ venam lymphaticam ampliorem ingreſſæ, lente ac difficile per eam movebuntur, adeoque præ motus lentore invicem adhæreſcent, ac majores particulas component, quæ venæ lymphaticæ diametrum excedentes, ejuſque tunicis undique applicatis ultra progredi non poterunt, lympham advenientem ſiſtent, adeoque vena lymphatica dilatabitur, quæ ſuo elatere in materiam contentam aget, & quod adhuc tenue in ea materia ſupereſt, exprimet; cui quoque impreſſioni favet preſſio a vaſis ſanguiferis vicinis venæ lymphaticæ dilatatæ illata; idcirco materia hærens magis, ac magis ſpiſſeſcet, ac tandem ſolidam, duramque conſiſtentiam facto ſtrictiori partium nexu acquiret; obſtructa vena lymphatica, lympham in conceptaculo e quo originem habet, hærere, colligi, ibique ſpiſſeſcere neceſſe eſt; præterea id non uni tantum venæ lymphaticæ accidit,

dit, in pluribus simul fieri potest; insuper vena lymphatica dilatata vicinas comprimit, in his motum lymphæ retardat, quæ ad crassitiem contrahendam disposita perinde hærebit, easque obstruet; ergo multiplicatis venarum obstructionibus, scirrus incrementum paulatim suscipit, nondum perfectam duritiem obtinet, sed mora longiori, facta partium tenuium mobiliumque expressione, particulæ strictius coeuntes materiam solidam duramque componunt, quæ in venis lymphaticis vicinis, earumque conceptaculis impacta firmiter hæret, omni pressioni pertinaciter resistit. Insuper hæc materia vasorum cavitates perfecte obstruens, harum internæ superficiei in pluribus punctis applicatur; premit ergo vascula, quibus tunicæ contexuntur, quæ valida hac pressione exsicca fiunt & obliterantur, sicque omnis humorum circuitus in his aboletur, & tunicæ rigidæ, duræ evadunt, nullius flexibilitatis, & consequenter elasticitatis capaces; ergo pars scirro perfecto correpta, dura ac velut lapidea fit; nullo amplius vitali motu gaudet, neque tamen gangræna corripitur; quia materia vasa obstruens motum suscipere nequit, ita nec putredinem contrahere potest, sine qua gangræna non fit; ex his liquet cur tumor scirrosus, seu scirrus incipiens sanari possit; scirrus vero perfectus insanabilis est.

3. Nullus est sensus in parte scirro perfecto laborante, quia filamenta nervea a ceteris vasis dilatatis, & induratis pressa, aut eis stricte annexa, nullius impressionis suscipiendæ, aut ad cerebrum transmittendæ capaces sunt: in tumore vero scirroso vasa partis affectæ nondum perfecte rigida, flexibilitatem quamdam conservant; ergo nervi impressionis alicujus suscipiendæ ac transmittendæ capaces sunt; adeoque sensus, exiguus tamen in parte scirrosa superstes.

4. Co-

4. Color partis affectæ non mutatur, quia sanguis in vasculis cutis partem scirrosam tegentis fere ut antea circulatur; quoniam enim scirrus paulatim fit, & accrescit, sanguisque vasa cutanea pulsus, viam liberam premit; quia hæc utpote distractilia, sanguini & humoribus adventantibus cedunt; ergo semper sat patent ut humorum circuitus fiat, adeoque sanguis & lympha ad vasa cutis advenientia libere progrediuntur, ac per consequens color cutis non mutandus.

5. In scirro motus vitalis aboletur, aut summopere imminuitur, nullusque in eo calor excitatur; ergo pars scirrosa frigida tactu percipitur; attamen si scirrus intra cutem resideat, tumor calidus tactu percipi potest, quia in cute sana viget motus vitalis, & per consequens calor.

Cetera symptomata, quæ scirro adjunguntur, a sede ipsius petuntur, quia semper functiones partis affectæ lædit: ergo quia plures partes afficere potest, plura atque diversa ei possunt adjungi.

DIAGNOSIS.

Noscitur facile scirrus duritie, & doloris absentia, quibus a ceteris tumoribus facile distinguitur; a phlegmone & a tumore cancroso, doloris absentia; ab abscessu, tumoribus tunicatis, a lupia & œdemate, duritie. An exquisitus sit & confirmatus, an spurius & incipiens noscitur, quod in confirmato nullus sit omnino sensus, incipiente exiguus; at præprimis magni refert noscere an scirrus a lympha viscida, tenaci, concreta oriatur, aut a fluidis siccitate condensatis, vasisque ariditate corrugatis. Si eum præcessere, quæ lympham densare & coagulare valent, tunc scirrus fit in ægris cacochymicis, pituitoso temperamento præditis, aut viru quodam correptis: insuper pulsus tar-

tardus eſt, lentus, facies pallida, ſubtumida: ſi a ſiccitate humorum & vaſorum corrugatione oriatur, & præceſſere quæ ſanguinis ſerum diſſipant, ut potus liquorum ardentium, uſus ciborum ſalſorum, piperatorum, exercitia nimia, vigiliæ inaſſuetæ, aliaque hujuſmodi, æger temperamento ſicco præditus, macilentus, calet, ſitit, æſtum in præcordiis ſentit: his rite cognitis, quæ ſit cauſa ſcirri, quæ methodus curandi adhibenda, quid ſperandum & pertimeſcendum Medicus ſciet.

PROGNOSIS.

Scirrus eſt affectus contumax & diuturnus; incipiens aliquando curatur, inveteratus nunquam; diu tamen perſeverat ſine vitæ periculo, niſi in carcinoma mutetur, aut parti inhæreat, cujus functiones maximi ſunt uſus in œconomia animali: ſi dolor ſcirro accedat, jam tumor fit cancroſus; idcirco ſcirrus lividi coloris valde periculoſus eſt, quia ſæpius in cancrum degenerat, non raro aſcitem ſibi adjungit, dum viſcera in abdomine contenta afficit.

CURATIO.

Scirrus exquiſitus, in quo nullus eſt omnino ſenſus, nullam admittit curationem, & ſi remedia adhibeantur, plus nocent quam proſunt; ſolus ſcirroſus tumor, ſeu ſcirrus, in quo aliquis, quanquam obſcurus, remanet ſenſus, curationem ſuſcipere poteſt.

Ut autem convenienti methodo curetur, ſtatim notandum an a ſpiſſitudine, an a ſiccitate & aridítate humorum fiat; utrique enim cauſæ ſua eſt ſingularis curandi methodus.

Si

Si ſcirrus a ſpiſſitudine humorum oriatur, inſtituta diæta convenienti, quæ plena eſſe debet, modice tamen ægrum alendo cum alimentis boni ſucci, & facilis coctionis, ptiſana pro potu ordinario præſcribitur cum radicibus cichorii, bruſci, foliis capillorum veneris, & ſcolopendrii, addito fruſtulo ferri rubiginoſi; vel potus erit infuſum ex ferro rubiginoſo & rheo contuſo in nodulo concluſo paratum: ſic inſtituta diæta, videndum an venæ ſectioni locus eſſe poſſit, quæ huic affectui curando non ſæpe confert: attamen ſi pulſus plenus validuſque ſit, ſi æger juvenis, temperamento ſanguineo præditus, aut ſi ſcirrus evacuationi ſuppreſſæ, præſertim cruentæ ſupervenit, ſanguis mittendus eſt ſemel, bis, imo pluries, ſi ſtatus morbi exigat, dein purgatio celebrabitur.

℞. *Sen. mundat. dr. ij. rhab. contuſ. & tartar. ſolubil. ana dr. j. epithym. & ſummitat. abſinth. ana. p. j. coq. in aq. fontan. unc. vj. diſſolv. mann. calabr. unc. ij. colatur. add. diagred. gr. vj. f. potio.*

Si ſaburra in primis viis copioſe lateat, potioni purganti, tartari ſtibiati grana duo vel tria addere neceſſum eſt; imo poſt unum aut duos dies purgationem iterum præſcribere oportet: expurgata primarum viarum ſaburra, tunc incidentia, & aperientia præſcribenda ſunt; mitiora tamen in principio ſeligantur, ut dein fortiora tuto præſcribi poſſint; ſequens juſculum paretur per decem dies ſumendum.

℞. *Pull. junior. gallin. aut fruſtul. carn. vitulin. vel coll. vervec. deſpuma & coque per horas quatuor in aq. fontan. ſ. q. dein add. radic. bruſc. aſparag. & cichor. ana unc. j. radic.*

pe-

petroſelin. unc. ſem. rh. contuſ. in nodul. ſuſpenſ. dr. j. croc. mart. aperient. majal. ror. præparat. & rite pulverat. dr. j. coq. per horam unam; ſub finem coction. add. fol. cichor. m. i. fol. cærefol. p. i. milleped. in vino albo lotas & in mortar. contuſ. num. x. coq. leviter, cola & exprim. juſculum capiat.

Finito juſculorum uſu, iterumque celebrata purgatione, ut ſupra, ſequens parabitur opiata per dies decem ſumenda.

℞. *Croc. mart. aperient. & rh. pulver. ana ſcrup. j. pulver. milleped. gr. xv. aquil. alb. & ſal. tamariſc. ana ſcrup. ſem. diagred. gr. vij. borac. gr. iij. cum ſ. q. ſyrup. flor. perſicor. f. opiata pro una doſi, ſuperbibendo juſculum pulli, vel carnis vitulin. foliis cichor. alterat.*

Finito opiatæ tempore, potio purgans iterum exhibeatur; dein æger capiet per menſem croci martis aperientis pulverati grana quindecim, quem cum offæ cochleari ſumet ante prandium; verum quoniam affectus contumax eſt, & diuturnus, juſcula bis, Vere & Autumno ſumere convenit, ut poſſit radicitus ſanari.

His remediis adjunguntur quandoque topica; idcirco emplaſtra ſcirro apponi poſſunt, ut emplaſtrum de cicuta, de ſulphure, & ſapone, de vigo cum mercurio, de mucilagine; diabotanum quoque aliquando utile eſt, nonnunquam emplaſtrum de mucilagine ſolum apponitur ad emolliendum tumorem ſcirroſum; dein apponitur emplaſtrum de vigo, vel diabotanum ſolum, vel emplaſtrum de vigo aut de cicuta imponitur; quo aliquando ſcirrus reſolvitur.

Re-

Remediis internis resolutionem juvantibus suadent nonnulli prius fotus adhibere, quam emplastra apponere, ut emolliatur pars affecta, humorque crassus & spissus diluatur; hi fotus parantur cum radicibus liliorum alborum, cæparum, floribus chamæmeli, meliloti, foliis brassicæ, parietariæ, aut cum radicibus, foliisque bryoniæ albæ, foliis hyosciami, solani hortensis; fotus qui ex his postremis paratur, potens est anodynus, & resolvens, adeoque magis scirro resolvendo convenit, si fotus non arrideat: ex his cataplasma parabitur, secundum artem.

Interim sollicite observandum, an his topicis admotis scirrus doleat, caleat, rubeat; hæc enim mox venturam suppurationem significant, quæ si laudabilis, optimisque signis indicata sit, eam promovere oportet, secus vero eam impedire aut retardare conandum, ne scirrus in carcinoma mutetur. Futuræ laudabilis suppurationis hæc sunt signa. 1. Si calor & rubor non sint in gradu intenso. 2. Si dolor tolerabilis sit, nam lancinans & peracutus carcinoma futurum demonstrat. 3. Si pars scirrosa ea proportione emollescat, qua suppurat, nam si pars suppurata eamdem duritiem servat, mala suppuratio significatur.

Si scirrus a siccitate humorum, & vasorum ariditate oriatur, diversa prorsus methodo procedendum, ut sanatio obtineatur; quapropter præscripta diæta humectante, aqua fontana potus sit; dein vena aliquoties secanda est, sanguinem parca manu qualibet vice mittendo, vasis sic depletis juxra vires, ætatem & temperamentum ægroti, purgatio sic parabitur.

℞. *Senn. mundat. dr. ij. tartar. solubil. dr. j. flor. persicor. m. sem. flor. violar. p. j. coq. in decoct. tamarynd. vel folior. cichor. ad unc. xij.*

in

in colatur. diſſol. mann. calabr. unc. iij. ſ. pot. pro duplici doſi.

Exhibeantur hæ duæ doſes, facto intervallo duarum, a prima ad ſecundam, juſculo propinato una hora poſt ſecundam doſim aſſumptam, & una elapſa a purgatione die, ſequens parabitur juſculum per dies decem ſumendum.

℞. *Pull. junior. exenterat. coq. per horas duas in aq. fontan. ſ. q. dein add. radic. enul. campan. ſicc. & in fruſtul. ſect. dr. j. cancr. fluviatil. in aq. calid. lot. & in mortar. marmor. contuſ. num. iij. coq. per hor. j. ſub fin. coction. add. fol. cichor. ſilveſtr. & naſturt. aquatic. ana m. ſem. milleped. in vin. alb. lot. & in mortar. contuſ. num. x. coq. leviter, cola & exprim. fiat juſculum.*

Poſt juſculorum tempus, purgatio ut ſupra celebrabitur, dein per dies quindecim æger mane deſcendet in ſemicupium, in quo hauriet ſerum lactis ſic præparatum.

℞. *Lact. caprill. vel vaccin. lib. ij. cum coagulo vulgari coge, ſerum percolatum cum ovorum albumin. clarificetur: in ſero clarificato immerge fruſtulum ferri rubiginoſi candentis, dein add. ſucc. cærefol. per reſidentiam depurati unc. ij. ſacchar. candid. dr. ij.*

Finito ſemicupii & ſeri lactis tempore, iterum celebrabitur potio purgans, ut ſupra, ac una poſt purgationem elapſa die, juſculum cancrorum fluviatilium, ut ſupra, paratum per dies novem exhibebitur, aſſumpta ante juſculum tartari chalibeati drachma ſemiſſe cum cochleari juſculi ſoluti.

ti. Poſt hæc, celebrata purgatione, ſequens pulvis parabitur per ſex dies ſumendus.

℞. *Croc. mart. aperient. & rh. pulverat. ana ſcrup. j. caſſ. lign. & ſal. abſinth. ana ſcrup. ſem. ſ. pulvis pro una doſi.*

Æger ſumet juſculum foliis cichorei alteratum; ſex diebus elapſis, ſerum lactis ut ſupra paratum per dies octo præſcribetur: huic potio purgans ſuccedet, dato unius diei intervallo, pulvis aperiens cum juſculo pulli, ut ſupra, per ſex dies præſcribetur: hæc ſerum lactis per octo dies ſumendum excipiet, & dein purgatione celebrata lac aſininum per menſes duos ſumetur, purgatione in medio uſu, & fine celebrata, per tempus quo æger lacte utitur, ſumet ter in hebdomada, dum ad prandendum accumbet, croci martis aperientis optime pulverati grana quindecim. Hæc vero remedia Vere & Autumno per unum aut duos annos adhibere neceſſe eſt ob morbi contumaciam, quia ſcirrus remediis non facile cedit.

CAPUT IV.

De Œdemate.

ŒDema tumor eſt albicans, mollis, indolens, digiti prementis veſtigium aliquandiu ſervans, lente dein ſeſe reſtituens.

DIFFERENTIÆ.

Quidam diſtinguunt in verum œdema, & tumorem œdematoſum. Verum & legitimum œdema vo-

vocant, dum humor cumulatus circumſcriptione certa definitur, dum vero humor cumulatus per partem eſt diffuſus, œdematoſus tumor fit: œdema ſimplex eſt, & complicatum cum altero morbo cujus ſæpe eſt ſymptoma. Externas plerumque partes afficit, rarius internas; ex externis extremitates corporis huic magis obnoxiæ ſunt, demum particulare eſt, vel univerſale quod leucophlegmatia nuncupatur.

CAUSÆ.

Cauſa proxima œdematis eſt collectio humoris lymphatici nimis aquoſi, tunicas vaſorum laxantis. Hæc lympha aquoſior in venis lymphaticis primo colligitur, dein in arteriis ſtagnat: & cumulatur, nec vaſis ſanguiferis ſaltem minimis parcit: exundans enim ſerum vaſa hæc nimium replet, quapropter partes purpureæ coactæ ingredi non valent; ergo œdema fit a craſi ſanguinis aquoſa, adeoque quæcumque hanc craſim producere valent, œdema remote pariunt.

1. Inducitur hæc ſanguinis craſis ab iis quæ partem ſanguinis purpuream & lymphæ fibroſam cogunt, & inſpiſſant, ex quo duo neceſſario ſequuntur. 1. Serum undique exprimi e parte purpurea & lymphatica, ut in lacte coagulato fit. 2. Concreta lymphatica difficile intra venas lymphaticas progredi, unde earum infarctus ſequetur; ergo quæcumque ſanguinem aut lympham cogent, œdema producere valent; ſic febres intermittentes, uſus nimius ciborum acidorum, fructuum immaturorum, cruditates demum acidæ e primis viis in ſanguinem delatæ, nimius etiam vini potus œdema quandoque pariunt; idem accidet a frigidis partibus applicatis, quæ lympham cogendo & denſando œdema pariunt: hæc craſis ſanguinis aquoſa

ab

abiiſdem induci poteſt, quæ ſanguinis & lymphæ partes fibroſas ſolvunt, & humorum diſſolutionem pariunt & ideo œdema febri lentæ & maraſmo ſuccedit.

2. Serum in ſanguine præter naturam excedit, dum potus aquæ nimius eſt, aut evacuationes ſeroſæ præſertim ſupprimuntur, vel mora fit longior in locis humidis, ſubterraneis: ad ſeri exceſſum in ſanguine producendum conſert aeris conſtitutio humida, & pluvioſa nimis, balnea diutius ſumpta, aut pedum manuumque mora longior in aquis; idem adhuc præſtare valent ſomnus longior, otium nimium, quæ vaſorum oſcillationes debilitando, fluidorum motum progreſſivum retardando, ſeri evacuationem imminuunt.

3. Laxitas partium affectarum œdemati producendo confert, quia debilitato vaſorum elatere fluida, lympha præſertim difficilius e partibus ad cor redeunt; ergo lympha in vaſis ſuis ſtagnabit; idcirco œdema frequentius in partibus inferioribus fit, ſicque eryſipelati eamdem partem plurieafficienti ſupervenit; id quoque pariunt compreſſiones, ligaturæ, ſitus moleſtus & difficilis partium internarum diu ſervatus, præſertim in phlegmaticis & pituitoſis; plerumque graviditatis comes eſt, & poſt partum evaneſcit. Œdemati producendo conferunt ætas ſenilis, temperamentum pituitoſum, cachexia, chloroſis, hæmorrhagia, diarrhœa diu perſeverantes: tandem plurimorum affectuum & hydropis præſertim ſoboles eſt.

SYMPTOMATA.

1. Œdema tumor eſt, quia lympha in ſuis ductibus lymphaticis copioſe ſtagnans, partem in majorem molem attollit, quæ albicat, quia vaſa omnia lymphatica, imo & quam plurima ſangui-

fera lympha ſtagnante replentur; nam ſicuti pars inflammata tota rubet ob ſanguinis purpurei in vaſa lymphatica derivationem, repletis tunc ſanguiferis, ita ob nimiam lymphaticorum repletionem lympha in minimis ſanguiferis retinetur, ſicque pars œdematoſa tota albeſcit.

2. Tumor œdematoſus mollis eſt, quia vaſa lympha repleta, ſeroque imbuta laxantur; ex ea vaſorum laxitate ſequitur caloris & doloris abſentia; vaſa enim laxa, liquida debiliter premunt, liquida quoque vix commota & exagitata in vaſa laxa debiliter reſiliunt; ergo maxime imminuitur attritus fluidorum inter ſe in ſolida, & ſolidorum in ipſa, adeoque tumor tactu frigidus percipitur, dolor vero ſuccuſſionem nervorum validam, & promptam ſupponit, quæ in fibris laxis minime fieri poteſt.

3. Pars œdematoſa preſſa digiti prementis veſtigium aliquandiu ſervat, quia vaſa laxa vi prementi non reſiſtunt, & fluida a preſſis vaſis expreſſa, in vicina facile recipiuntur, quæ, ob nimiam laxitatem, lente debiliterque accepta fluida premunt; ergo lente vaſis, a quibus accepere, ceſſante preſſione reddunt: ex his eventus œdematis patet, quod gangræna, induratione, reſolutione, rarius ſuppuratione terminatur: gangræna, ſi a vaſis penitus laxatis motus vitalis omnino in parte ceſſet: induratione, dum partibus ſeroſis diffiatis, tunicisque vaſorum exſiccatis, in venis lymphaticis concretæ partes remanent, & indurantur: reſolutione, ſi naturæ viribus, aut remediis reſolventibus, volatilibus & ſpirituoſis, aut utriſque ſimul diffiato ſero ſuperfluo, attritis, contritis partibus, nativæ fluxilitati & expanſioni redditur, diſcuſſa vaſorum laxitate, circuitus naturalis in parte reſtituitur: ſuppuratione tandem, ſi aucto ſanguinis motu, partes purpureæ majori co-

copia, & impetu ad partem œdematoſam appellant, quæ ibi ſtagnantes inflammationem concitant; hæc autem difficillime fiunt, dum humores ſeroſi & torpidi in vaſis laxis hærent.

DIAGNOSIS.

Ex his quæ in definitione allata fuere, diagnoſis œdematis ſatis innoteſcit, nec cum alio confundi poteſt tumore, niſi cum inflatione, quæ jam œdema eſt, dum pars inflata corporis prementis veſtigium ſervat. An ſimplex, vel compoſitum, ſymptomata docent: an particulare, an univerſale inſpectio ægri demonſtrat.

PROGNOSIS.

Œdema ſimplex a cauſa externa in agrotante juvene & bene conſtituto productum, nullum habet periculum, & facile diſcutitur: illud vero quod a cauſa interna, vitiata nempe humorum craſi, aut obſtructo colo quopiam naſcitur; in juvenibus & bene conſtitutis quandoque ſanatur; in ſenibus vero cacochymicis periculoſum partium internarum hydropem antecedit, & comitatur. Reſolutione œdema ſanatur, ſi induratione vel ſuppuratione terminetur malum; ſi gangræna, peſſime. Œdema complicatum ſimplici gravius eſt, ita univerſale particulari; affectis partibus omnibus externis, humores uberius ad interiores ruunt; harum ergo infarctus maxime pertimeſcendus.

CURATIO.

Ut œdema ſanetur, ſeroſæ partes in ſanguine luxuriantes diſcutiendæ ſunt, concreta atterenda

& dividenda, ut fluiditatem adipiſcantur; vaſa demum mollia, laxa exſiccanda; ut horum elater reſtituatur. His indicationibus ſatisfit remediis internis & externis. Interna debent eſſe incidentia, alterantia, evacuantia, & purgantia, diuretica calida, diaphoretica, præſcripta diæta exſiccante, quæ inſtituetur alimentis boni ſucci, facilis coctionis, ut avibus præſertim aſſis, & non elixis, pane biſcocto, pro potu ptiſana parabitur cum radicibus cichorii, foliis capillorum veneris, & ſcolopendrii, addito cinnamomo: a venæ ſectione abſtinere oportet, quæ nunquam celebrabitur, niſi morborum complicatio eam illico a purgatione inchoare oportet, quæ ſic parari poterit.

℞. *Senn. mundat. dr. ij. rh. contuſ. dr. j. ſal. tamariſc. dr. ſem. ſummitat. abſinth. p. i. coq. in decoct. folior. cichor. ad unc. vj. in colatur. diſſolv. mann. calabrin. unc. i. & ſem. add. ſyrup. de ſpina cervina unc. j. jalap. pulverat. gr. vij. fiat potio.*

Celebrata purgatione, ſequens juſculum præſcribetur.

℞. *Fruſtulum carn. vitulin. coq. per horas duas in aquæ font. ſ. q. dein add. radic. eryng. bruſc. & aſparag. ana unc. j. cancr. fluviatil. in aq. calid. lotos, & in mortar. marmor. contuſ. n. iv. coq. per horam unam; ſub fin. coction. add. folior. apii p. i. milleped. vivent. in vin. alb. lot. & in mortar. contuſ. n. xij. poſt levem coctionem cola & exprime, fiat juſculum.*

Juſculum per dies quinque ſumetur, dein potio

tio purgans, ut ſupra iterabitur, iterumque per quinque dies aſſumpto juſculo, purgatio dein rurſus celebrabitur, unaque elapſa die, opiata ſequens parabitur.

℞. *Croc. mart. aperient. unc. ſem. rh. & ſenn. mundat. ana dr. ij. ſal. tartar. antimon. diaphoretic. fecular. irid. & reſin. ſcammon. ana dr. j. cinnamom. & trochiſc. alband. ana dr. ſem. cum ſ. q. ſyrup. de quinque radicibus f. opiata ad dr. i. & ſem. ſumenda per dies ix. ſuperbibendo juſculum pulli foliis cichorei ſilveſtr. alteratum.*

Finito opiatæ tempore, potio purgans exhibebitur; ſi nondum œdema evanuerit, aut his irritis incrementum ſuſceperit, ad ea confugiendum remedia, quæ ad hydropem curandum præſcribuntur; ſi vero aliquid adhuc ſolum remaneat, ptiſana diaphoretica ex ligno ſancto, ſalſa parilla, radice chinæ, ligno ſaſſafras, & antimonio crudo pulverato in nodulo incluſo parabitur. Duos hujus ptiſanæ hauſtus æger ſumet in die, mane jejuno ſtomacho, ſero vero tribus horis poſt prandium per dies viginti, celebrata in fine purgatione, & in medio hujus ptiſanæ uſu, ſi neceſſe ſit.

Topica quæ œdema ſanare valent, plurima recenſentur; ex his præſtantiora videntur folia ebuli, igne mediocriter exſiccata, & dein partibus applicata, & ſi ſpiritu vini irrorentur potentius reſolvunt. Laudantur pariter ſpiritus vini camphoratus, aqua Reginæ Hungariæ, aqua calcis, quæ partes potenter exſiccant: hæc ſeorſim vel ſimul mixta conducunt, horum uſum per aliquod tempus continuando. Topica parti applicanda eodem tempore, quo remedia interna

uſurpantur, ut mutuum auxilium ſibi præbeant Si œdema univerſal fuerit, topica locum habere nequ unt; idcirco remediis tantum internis debellare oportet.

CAPUT V.

De Emphyſemate.

EMphyſema tumor eſt, qui preſſioni cedens, citiſſime dein reſtituitur; preſſus murmur, & ſonum quemdam edit; a flatibus collectis producitur.

DIFFERENTIÆ.

Tumor hic interdum cuti concolor, aliquando palleſcens, aliquando pallidus, dolens quandoque, & ſæpe indolens, non eſt circumſcriptus, non multum eminens, fricatu edens fremitum, ratione cujus a tumore ſeroſo diſtinguitur.

Flatus colligi in variis corporis cavitatibus ſæpe experientia demonſtrat, uti in cavitate ventriculi, inteſtinorum, abdominis, & ſcroti, inde tympanites & pneumatocele naſcuntur; imo flatus ex utero emiſſos fuiſſe obſervatio aliquando docuit, & ſectione cadaverum conſtat ureteres flatibus diſtentos & dilatatos inventos fuiſſe, adeoque nulla eſt pars interna, ubi flatus colligi non poſſint, ſæpius tamen in externis colliguntur, ubi tumorem flatulentum emphyſema dictum producunt; itaque flatus inter membranas ſub ipſa cute inter tegumenta & muſculos, aut inter muſculorum interſtitia colliguntur: ex his patet nonnunquam dolorem adeſſe, dum tumor flatulentus ge-

ne-

heratur ob nimiam distentionem & divulsionem fibrarum membranas invicem annectentium.

CAUSÆ.

Quoniam flatus emphysema non pariunt, nisi dum in partibus externis colliguntur, ex eo sequitur hunc tumorem fieri posse, vel a vulnere, vel a causa interna; a vulnere fieri facile concipitur, cum aer per vulnus ruens in interstitia membranarum, calore loci expansus & rarefactus, partem in tumorem elevat; similiter vulneri thoracis penetranti emphysema sæpe adjungitur, quia aer e cavitate thoracis per vulnus exiens, a fasciis, aliisque quibus vulnera deligantur retentus, in partes vicinas ruit, quas sua rarefactione in tumorem attollit, eadem ratione vulneribus colli in trachæam penetrantibus, tumor flatulentus frequenter adjungitur.

Ast conceptu difficilius est quomodo, illæsa cute, flatus colligi possint sub ipsa: ut flatum collectio facilius intelligi possit, notandum fluida omnia humanæ machinæ maxima copia aeris esse repleta, quod evincit effervescentia ingens, quam subito contrahit sanguis in machina pneumatica, aere exantlato; tunc non aliter effervescit, ac si igni vehementi exponeretur, & bullas aeris innumeras emittit; ergo ut tumor flatulentus fiat, sufficit ut aer ex ergastulis fluidorum expressus per poros vasorum, ex horum cavitate exire possit; ergo ad tumorem flatulentum generandum duo requiruntur: 1. Ut aer ex interstitiis fluidorum, ubi retinetur, exprimatur. 2. Ut pori vasorum satis pateant ad aeris expressi egressum.

Primum fiet, si fluida lente provoluta partibus crassioribus constent, quæ ob motus tarditatem, vi cohæsionis naturalis strictius unitæ, aerem e

ſuis poris exprimunt; verum fluida ſic lenteſcentia, vaſa in quibus continentur, replent; nec ob motus defectum ſtimulant; vaſa igitur urpote diſtractilia, extendentur, horumque pori majores ubique fient, adeoque aer ex interſtitiis fluidorum expreſſus, ſui juris factus, per poros vaſorum dilatatos exibit.

Fiet adhuc tumor flatulentus, ſi fluida exſiccentur, cum ob ſeri defectum, horum partes ſtrictius unitæ, poros pauciores, & minores relinquunt, ac proin aeris ſpirulæ expreſſæ ſui juris fiunt; verum fluida exſiccata intra vaſa lenteſcunt, quæ ideo magis repleta poros patentiores facient; ergo aeris ſpirulæ per poros ampliatos exibunt, & in interſtitiis partium vicinarum colligentur; ſpirulæ aeris egreſſu favet continuus ſanguinis ad vaſa, ubi fluida lenteſcunt, appulſus, quo humores remorantur, magis ac magis premuntur, horumque pori imminuuntur, aeriſque partes vi majori exprimuntur ac in poros vaſorum dilatatos urgentur; inde patet cur emphyſema cachecticos & melancholicos præ cæteris afficiat.

SYMPTOMATA.

1. Tumor eſt, quia ſpirulæ in interſtitiis membranarum collectæ, calore partium vicinarum expanſæ, partem in molem majorem attollunt.

2. Is tumor preſſioni externæ cedit, quia aeris ſpirulæ dilatatæ, vi externa compreſſæ in minus ſpatium rediguntur, adeoque tumor compreſſioni cedit.

3. Vi comprimente ablata, tumor ſubito, & quaſi cum impetu reſtituitur, quia ſpirulæ aeris in minus ſpatium redactæ, ſubito ſuo elatere expanduntur; ergo tumor ad priorem magnitudinem redit.

4. Mur-

4. Murmur & ſonus quidam, percuſſo tumore percipitur, quia ſpirulæ aeris percuſſione ſubito depreſſæ, ſuo elatere ſubito quoque reſtitutæ, in membranas vicinas tenſas valide impetunt, qui impetus aeri externo per membranas communicatur.... Hæc facile concipi poſſunt, ſi attendatur aerem ſumme elaſticum eſſe, & facile comprimi poſſe. Rurſus quo magis aer comprimitur, eo majori & validiori elatere reſtituitur: dum ſuo elatere fruitur, aeris particulæ a ſeſe invicem recedunt, adeoque majus ſpatium occupant, aerem ſuo elatere ad ingentem & fere incredibilem dilatationis gradum pervenire experimenta a clariſſimo Boyleo facta demonſtrant.

5. Dum emphyſema fit, dolor quandoque adeſt, facta violenta fibrarum diſtractione, præſertim dum flatus inter integumenta & membranam muſculorum colliguntur, diſtractis, imo diſruptis fibrarum faſciculis, quibus hæ membranæ nectuntur. Hæc autem fibrarum diſruptio tantum dolorem quandoque excitat, ut cutis externa inflammatione corripiatur, & ſigna ſuppurationis appareant, quæ tamen nulla eſt; unde his mitigatis, cute inciſa, flatus pro pure erumpit; inde patet ratio cur tumor is cuti concolor quandoque ſit, & cur aliquando inflammetur.

DIAGNOSIS.

Emphyſema uti facile noſcitur, ita a quovis alio tumore diſtinguitur; hoc habet ſingulare & ſibi proprium, quod quocumque alio tumore levius ſit, & tumor ſimul tenſus & ſumme elaſticus ſit. An a cauſa interna, an a vulnere fiat, cognitu facile. Utrum particularum ſanguinis moles, motuſque tarditas, vel craſis humorum ſicca emphyſema produxerit, Medicus ſciet, cognita ægri temperie, &

attente conſideratis quæ morbum præceſſere & comitantur:

PROGNOSIS.

Tumor flatulentus periculi expers eſt, niſi mole maximus fuerit, aut cum altero affectu complicetur; ſolet reſolutione ſanari, diſcuſſis ſcilicet flatibus. Interim ſi remediis convenientibus reſiſtat, inflammationem parit, & ſuppurationem; quia cutis vaſcula ſanguifera præ nimia extenſione arctata, motum ſanguinis præpediunt, qui idcirco in ipſis collectus inflammationem parit.

CURATIO.

Ut flatus collecti diſcutiantur, humores ſpiſſi incidendi ac dividendi ſunt, elaterque vaſorum debilitatus exſuſcitandus eſt, præmiſſa diæta convenienti, imo & venæ ſectione, quæ tamen ſæpe omittenda eſt; præſcribatur potio purgans.

℞. *Senn. mundat. dr. ij. rh. contuſ. & tartar. ſolubil. ana dr. j. ſummitat. abſinth. p. i. coq. in decoct. polypod. quercin. ad unc. vj. in colatur. diſſolv. mann. calabrin. unc. ij. add. electuar. diacarthan. dr. i. & ſem. f. potio.*

Altera a purgatione die ſequens paretur apozema per octo dies ſumendum.

℞. *Radic. bruſc. & cichor. ana unc. j. ligni ſaſſafras & radic. chinæ contuſ. ana dr. iij. coq. per horam unam in aq. fontan. lib. i. & ſem. dein. add. cancros fluviat. in aq. calida lotos, & in mortar. marmor. contuſ. n. iv. coq. per hor. ſem. ſub fin. coction. leviter bulliant epithym. in-*

inciſ. folior. fœnicul. & ſemin. aniſ. contuſ. ana p. i. colet. & exprimatur, f. apozema.

Finito apozematis uſu, purgatio iterabitur, ac dein pulvis ſequens per dies decem ſumendus præſcribetur.

℞. *Croc. mart. aperient. ror. majal. præparat. gr. xv. rh. pulverat. ſcrup. j. ſal. tamariſc. & flor. martial. ana ſcrup. ſem. cinnam. nuc. moſchat. pulverat. & diagred. ana gr. vj. m. fiat pulvis pro una doſi.*

Æger ſtatim ab aſſumpto pulvere juſculum hauriet, pullo juniori confectum, & foliis cichorei alteratum. Finito uſu pulveris, potio purgans iterabitur; quo tempore remedia interna adhibentur, topica parti affectæ imponere oportet, quæ ſola ſæpe hunc tumorem diſcutiunt, itaque tumor ſequenti decocto foveatur.

℞. *Fol. merd. puleg. rhut. ana m. i. fol. fœnicul. m. ſem. flor. chamæmel. & aneth. ana m. ſem. ſemin. aniſ. & cumin. baccar. lauri ana unc. j. coq. in æquis partibus aquæ & vini alb. ana lib. iij. colatura add. aq. vitæ rectificat. unc. iv. ſervetur pro fotu.*

Bis, aut ter in die partem affectam fovere oportet per ſex aut octo dies, quibus elapſis, fiet bis in die linimentum cum oleo cucumeris aſinini per hebdomadam continuandum, quod ſi ſatis non profit, huic adjungere oportet oleum anethi, rutæ, nucis moſchatæ, nardi, aut cinnamomi, & ſpiritus ſalis ammoniaci guttas aliquot, quæ poros aperiunt, vaſorum elaterem augent, flatus potenter diſcutiunt.

Si his tumor obſiſtat, Auctores ſuadent emplaſtra reſolventia apponere, ut de cicuta, de Vigo, diabotanum, imo veſicatorium, ut major in parte excitetur calor, vel cataplaſma ſequens imponetur.

℞. *Radic. bryon. & irid. ana lib. ij. radic. cucumer. aſinin. & lilior. ana lib. j. coq. in aq. fontan. ſ. q. ad putrilaginem, trajiciantur per ſetaceum, ut pulpa extrahatur; hæc calida parti imponenda eſt per aliquot dies.*

Demum ſi tumor non diſcutiatur, perforandus eſt inſtrumento quod gallice dicitur *le troquart*, quo flatus exibunt; dein cataplaſmata, aut emplaſtra reſolventia, vel fotus, parti ſunt imponenda. Notandum ejuſmodi medicamenta actu calida parti ægræ ſemper imponenda eſſe.

Dum emphyſema ab humorum ſiccitate, & vaſorum rigiditate oritur, diæta humectans eſſe debet, venæ ſectio in principio morbi celebranda, quæ iterabitur juxta vires ægri, & neceſſitatem; purgantia mitiora larga manu exhibenda; tandem fotus & cataplaſmata anodyna, & relaxantia parti imponenda, exhibitis interius humectantibus, & refrigerantibus, uti juſcula pullorum, ſerum lactis, lac ipſum caprillum, vel aſininum, quibus vaſa rigida laxantur, humores ſicci diluuntur; inde ſanguinis circuitus reſtituitur, ac poris dilatatis, patent flatibus viæ, quibus diſcuti poſſint.

CA-

CAPUT VI.

De Ambuſtione.

AMbuſtio eſt ſolutio continui cuticulæ & cutis utplurimum, nonnunquam & partium ſubjectarum vi ignis facta.

Tres hujus ſtatuuntur gradus ſeu ſpecies; ſi materia quæ urit, non diu corpori adhæreſcit, & levis fuerit, ut flamma ſtraminis, lini, ſtupæ, vel aqua quæ cito defluit, ſolummodo puſtulæ, ſeu parvæ veſiculæ elevantur, primus eſt gradus; hujus indicia ſunt, cutis rubicunda, dolor pungitivus, & niſi remedia ſtatim adhibeantur, fit cuticulæ a cute vera ſeparatio, cum vaſorum, quibus limpida aqua continetur, ruptione.

Secundus gradus fit, dum materia urens corpori adhæreſcit, aut calore vehementiori prædita eſt, ut ferrum ignitum, liquefactum metallum, vel lignum igne accenſum; ita pix, oleum, accenſa; tunc non ſolum elevantur puſtulæ, verum & cutis ipſa aduritur, exſiccatur, contrahitur, nondum tamen facta eſt cruſta, & eſchara.

Tertius gradus excitatur, ſi res ignita diutiſſime adhæreſcit, & vehementiſſimum in ſe continuerit calorem; tunc non ſolum cutis, verum & muſculi, venæ, arteriæ, nervi, cæteræque partes ſubjectæ comburuntur, contrahuntur, & in eſcharam ſiccantur: gradus is indicatur, ſi ſubjecta cutis nigra, vel ſaltem livida conſpiciatur, & cum ſcalpello pungitur, obtuſe ſentiat; dura nimirum & exſiccata exiſtente cruſta, quam demum deciduam ulcus excipit putridum, profundum. Iis addi poteſt alius ambuſtionis gradus, cæteris pejor, cum pars tota, ut manus, pes, igne comburitur.

In

In tertio gradu humores partibus igneis pluribus fœti, in pus acre, corrosivum mutantur; hinc puris fetentis magna copia generatur. Hæc ambustionis species febrem semper habet comitem, tum ratione doloris, qui vehemens esse solet, tum puris indole & quantitate. Dolor autem & febris plurima alia symptomata quandoque pariunt.

DIAGNOSIS.

Ambustio solo ægri relatu noscitur; quis vero ejus sit gradus, ex attenta consideratione eorum, quæ superius exposita sunt, Medicus facile noscet.

PROGNOSIS.

Ambustionis prognosis varia est pro vario ejus gradu, & dignitate partis affectæ. In primo gradu nullum est periculum; in secundo adest periculum; in tertio prognosis gravis, & interdum mala. 1. Ratione febris & vehementiæ symptomatum. 2. Ratione ulcerum subsequentium. 3. Ratione partium ambustarum, ut dum arteriæ, venæ, tendines comburuntur: demum ambustio periculum affert ratione partis affectæ: sic ambustio manus, faciei, & oculorum præsertim gravissima symptomata plerumque parit. Hæc species ambustionis, ob ulcus putridum & profundum quod parit, cicatricem gravem & difformem relinquit, a qua color naturalis partis immutatur. Alopeciam similiter parit, destructis, aut penitus erosis bulbis, e quibus pili originem.

CURATIO.

In primo & secundo ambustionis gradu æger modice cibetur, & cibis facilis coctionis vescatur; in ter-

tertio ratione febris & vehementiæ ſymptomatum, diæta tenuis, humectans & refrigerans eſt concedenda, aqua, vel ptiſana foliis capilli veneris, & floribus malvæ parata ſit potus ægri; ſangu s illico mittendus, venæ ſectio pluries iteranda, habita ratione ad vires ægri, ætatem, temperamentum, & ſymptomatum vehementiam. Narcotica quoque adhibenda ſunt ad dolorem mitigandum; & ſi ſaburra in primis viis adeſſe noſcatur, facta ſufficienti vaſorum depletione, eam convenientibus remediis eliminare oportet, ſed imprimis ad topica ſtatim confugere eſt neceſſe: in primo & ſecundo ambuſtionis gradu, nihil convenientius parti apponi poteſt, quam vinum tepidum, & aqua vitæ modica quantitate admixta; vinum & aqua vitæ igneas particulas in parte ambuſta nidulantes attrahunt, & veluti ex ipſa avellunt; ſicque ſymptomata ambuſtionis imminuunt; quapropter vulgus in levi ambuſtione ſolet partem ambuſtam ad ignem approximare, ut igneæ particulæ in parte infixæ ab igne attrahantur, idque cum magno levamine fit; male ergo ambuſtioni medentur, qui aquam frigidam, aut alia quævis frigida parti ambuſtæ apponunt: ſi plures tamen veſiculæ erumpunt; ſi dolor admoto vino tepido non ſat mitigetur, ut quandoque fit in ſecundo ambuſtionis gradu, tunc unguento de lithargyro, vel cerato Galeni confecto ex cera nova, & oleo amygdalarum dulcium ſine igne parato, partem ambuſtam bis, terve in die illinire oportet, aut ſequens paretur unguentum, quod parti illiniatur.

℞. *Flor. ſambuc. m. ſem. infund. leviter in aq. bord. lib. ſem. cola, dein lardum accende, ac igne fuſum cadat in colaturam, donec unguenti conſiſtentiam adipiſcatur, f. unguentum.*

Puſtulæ ſeu veſiculæ non ſtatim aperiendæ, ne de-

denudata cute dolor vehementior excitetur; verum poſt aliquot dies, ubi cutis regenerari incipit, aperiendæ; quin & diutius earum apertio non protrahenda, ne contentus humor acrior fiat, cutemque erodat & exedat.

In tertio gradu quoniam vaſa cutis, parteſque ei ſubjectæ, a graviore ambuſtione ita corrugantur, & conſtringuntur, ut ſanguis affluens libere permeare atque per partem ambuſtam circulare non poſſit; inde magnum gangrænæ & ſphaceli periculum imminet; idcirco in hac ambuſtionis ſpecie veſiculæ omnes quamprimum ſunt incidendæ, ut acre urenſque ſerum effluere poſſit; dein eſchara leviter ſeparanda, aut ſaltem diverſis in locis ad ſanam uſque carnem incidenda, ut acris ſub cruſta retenta lympha effluere, medicamenta penetrare, & quidquid a combuſtione induratum eſt, emolliri poſſit. Hæc ſeparatio primo, aut ſecundo die fieri debet, priuſquam pars affecta infletur, & ſtatim hoc unguentum apponetur.

℞. *Butir. recent. inſulſ. unc. iij. balſam. Arcei unc. ij. ol. ovor. & amygdalar. dulc. ana unc. j. ſ. unguentum.*

Dein linteum reduplicatum ſequenti decocto imbutum applicabitur.

℞. *Florum ſambuc. m. i. flor. melilot. & chamæmel. ana m. ſem. infund. in aq. bord. lib. iij. ſerva ad uſum.*

At ſi dolor acerrimus fuerit, ſi eſchara ficcior vaſis integris firmius adhæſerit, oleo ovorum vel amygdalarum dulcium illinietur ſuperimpoſito cataplaſmate de mica panis.

Ubi primum ſeparatio eſcharæ facta fuerit, tunc ulcus

ulcus detergendum eſt unguento de lithargyro, de ceruſa, de minio; quia plumbi præparationes ſerum urens & pus acrius facile abſorbent, parteſque igneas facile ſuſcipiunt, & extricant, ſicque dolorem mitigant; vaſa antea rigida & excorrugata emolliunt & laxant; unde laudabilis ſuppuratio ſuccedit, qua quidquid eſt putridum & affectum a partibus ſanis ſeparatur.

Si ambuſtio articulos afficiat, eadem adhibenda ſunt remedia: aſt ſi facies ambuſta fuerit nullum cataplaſma imponendum, fotus tantum adhiberi poſſunt; & oleo ovorum aut amygdalarum dulcium pars ambuſta illinienda eſt, ut magis ac magis emolliatur, ac cicatricis deformitas minuatur. Verum ſi oculos ambuſtio afficiat, nec oleum, nec cataplaſma imponere oportet; tunc morbus collyriis ſanandus eſt, ut aqua plantaginis, roſarum; vel roſæ rubræ in vino infundantur, quo foveatur oculus; imo linteum hoc decocto imbutum oculo ambuſto imponendum eſt: pariter tuthia præparata, vel ſarcocolla lacte nutrita confert, quæ in aqua roſarum ſolvetur, aut rite pulverata oculo admovebitur, præſertim ſi jam ulcus adfuerit; item crocus in aqua roſarum infuſus, ſæpe oculo ambuſto & ſuppuranti prodeſt; ſi dolor & inflammatio maxima fuerint, imponi poteſt pulpa pomi regii igne cocti, cum lacte ad formam cataplaſmatis permixta; ut primum mitigatis dolore & inflammatione, ſuppuratio laudabilis fit, tunc ſequenti collyrio uti oportet.

℞. *Aquar. plantagin. roſar. & euphraſ. ana unc. i. & ſem. trochiſc. alb. Rhaſis ſubtiliter pulverat. dr. j. tuth. præparat. ſcrup. j. ſacchar. ſaturn. ſcrup. ſem. miſc. pro collyrio.*

Dum in partibus carnoſis, vel membranoſis ambu-

buſtio magnum & profundum ulcus producit, tunc ulcus detergere & mundificare oportet lotionibus vulnerariis, imo aquis thermalibus, ut cicatrix cito inducatur; ad hoc confert emplaſtrum de ceruſa, de minio, &c.

CAPUT VII.

De Contuſione.

QUoties pars quædam corporis externa, motu, reſiſtentia vel preſſu corporis obtuſi patitur coloris mutationem in rubrum, fuſcum, nigrum, flavum, viridem, & intumeſcit, contuſa dicitur. Contuſio igitur eſt intumeſcentia alicujus partis, cum coloris mutatione in rubrum, & nigrum, a corpore duro, & obtuſo percutiente, vel premente facta: corpus vero obtuſum & durum partes corporis humani duplici modo percutit, vel dum in corpus humanum impetit, aut cum iſtud in corpus durum & obtuſum incurrit.

DIFFERENTIÆ.

Contuſio levis eſt, aut gravis; ſimplex, aut complicata; in levi contuſione ſola fit vaſorum partis affectæ diſtractio; in gravi fit accumulatio vulnuſculorum cum attritu ſolidorum, unde ſanguinis in inania vicina effuſio fit; hæc contuſio echymoſis dicitur; hactenus contuſio ſimplex eſt: complicata vero dicitur, dum pars contuſa vulnus ſenſibile patitur, aut in fragmenta laceratur; vel a cauſa contundente venæ arteriæve ſenſibiles aperiuntur; membranæ, tendines, muſculi valde læduntur, & quaſi atteruntur, aut oſſa franguntur: de-

demum, dum viſcera in cavitatibus internis contenta a cauſa contundente læduntur; inde patet cauſa & origo innumerabilium morborum qui contuſionem complicatam ſequuntur, uti caries, gangræna, ſphacelus, ulcera interna, quæ mortem certam inferunt.

SYMPTOMATA.

1. In levi contuſione color partis mutatur, ſeu ſucceſſive diverſo colore afficitur, quia a cauſa contundente tanta fit vaſorum diſtractio, ut horum elater maxime debilitetur; idcirco ſanguis appellens in ipſis accumulatus, primo ruborem parit, cui livor cito ſuccedit; quoniam ſanguis in vaſis laxis parum elaſticis cumulatur, ab ipſis parum premitur; ergo vix in ipſa reſiſtit, adeoque imminuta vi ſolidorum in liquida, minuitur actio liquidorum in ſolida, & partes ſanguinis cumulati invicem cohærentes, livorem vaſis, in quibus hærent, tribuunt.

2. Fit quædam partis contuſæ intumeſcentia, a ſanguine collecto in vaſis parum elaſticis.

3. Dum cauſa contundens validius agit, vaſcula quoque magis diſtracta vulnuſcula patientur, ſeu fiet particularum vaſcula componentium inſenſibilis ſeparatio, unde ſanguis per rimas factas effluet, ſicque fiet contuſio, quæ echymoſis nominatur.

4. In contuſione livor e parte prius affecta in vicinam quandoque tranſit; ſanguis hærens in vaſculis contuſis paulatim ea replet, tendit, ſtimulat; ergo eorum elaterem paulatim exſuſcitat; unde vaſcula ſanguinem hærentem premunt, & ad progrediendum cogunt, qui idcirco progrediens abſque ſufficienti diviſione vaſa vicina ſubit, intra ea lente motus colorem ſuum lividum eis tri-

buit; quoniam vero vaſculorum elater paulatim intenditur, aucto vaſculorum elatere, major fit ſanguinis preſſio; ergo ſanguis in minores particulas dividitur, & color ejus ater in flavum vel viridem mutatur, brevi rubicundus futurus. Verum notatu dignum eſt partem contuſam nunquam ſuppurare, dum livor e parte in partes vicinas ſerpit; ſecus vero, livorem fixum in parte contuſa ſuppuratione affici; ex quibus patet in omni contuſione non eſſe eſſentialiter ſolutionem continui in partibus inſenſibilibus, cum omnis contuſio ſuppurationem non pariat.

5. Si cauſa contundens externas partes valide feriat, inde contuſio complicata fiet: quæ plurima mala valde periculoſa pariet, præſertim gangrænam & ſphacelum, quibus contuſæ partes ſæpe corripiuntur; facto vaſculorum contuſorum elatere, humores ſtagnant; abolito circuitu, putrefcunt; ex his liquet cur vulnera a corpore contundente facta gangrænæ & ſphacelo adeo ſint obnoxia. Rurſus dum contuſio plurima vaſcula rumpit, ſuppurationem excitat. Demum ſi arteriæ aut venæ ſenſibiles aperiantur, hæmorrhagia contuſioni adjungitur; ſi tendines lædantur, dolor & febris accedunt, horumque fit ſuppuratio, graviſſimis ſtipata ſymptomatibus.

At nihil pejus in contuſione gravi, quam viſcera in cavitatibus internis contenta lædi, inde horum inflammatio, ſuppuratio, & gangræna oriuntur, quibus Medicina nullatenus ſuccurrere valet, quæ mortem certiſſime afferunt; & ſi vas quoddam notabile a vehementi contuſione aperiatur, effuſa maxima cruoris copia, mors cito accedit; aſt ſi ſanguini e vaſis effuſo via quædam pateat, qua extra corpus ejici poſſit, nec tam cito mors accedit, nec tantum imminet periculum; ſic a contuſione thoracis, ſputum cruentum ſæpe fit;

fit; contuſo abdomine, hæmorrhagia per anum & partes genitales, & quandoque ſanguis vomitu rejicitur; ſi vero abdomen graviter contundatur, utero gravido, abortus producitur.

DIAGNOSIS.

Contuſio ex relatu ægri & colore partis affectæ mutato facile cognoſcitur. An contuſio ſimplex, an echymoſis ſit, in principio cognoſci facile non poteſt; ſed elapſo uno, aut altero die, ſi livor e parte in partem ſerpat, contuſio ſimplex eſt; ſi conſtans in eadem parte ſit, tunc vaſcula in pluribus punctis ſoluta fuiſſe, ſanguinemque extra vaſa effuſum, ſignum eſt. Rurſus in echymoſi pars affecta paulo magis tumeſcit; calor & dolor brevi accedunt, quæ ſuppurationem futuram indicant. An carnes, tendines, arteriæ, venæ, oſſa demum læſa fuerint, non facile cognoſcitur, niſi graviſſima ſtatim accedant ſymptomata; ſæpe etiam fit ut partes internæ contuſæ paulatim tantum inflammentur, ſuppurent, aut gangræna corripiantur; inde dolor, febris lenta, mors tandem talem contuſionem ſequuntur, & quod magis in hac contuſionis ſpecie mirum videtur, ſæpe fit ut partes externæ graviter contuſæ cito ſanentur, dum internæ levius læſæ affectus lethales pariunt; quod ob majorem partium externarum duritiem fit, quæ magis quam internæ vi contundenti cedentes, minus quoque a cauſa contundente afficiuntur. Quænam ſit contuſionis ſpecies, & quæ cauſa contundens ex ægri relatu & concomitantibus Medicus aſſequetur.

PROGNOSIS.

Varius eſt contuſionis eventus, ratione hujus

ſpeciei & præſtantiæ partis contuſæ; contuſio ſimplex levis eſt affectus, qui reſolutione ſemper ſanatur: gravis vero reſolutione & ſæpius ſuppuratione terminatur: ſi tegumenta ſolum contuſa ſuppurent, nullum exinde periculum plerumque imminet; aſt ſi vaſa notabilis amplitudinis rupta fuerint, unde ſuppuratio gravior excitatur; ſi tendines aut muſculi graviter contundantur, vel oſſa a cauſa contundente frangantur, ſæpe ſuppuratio fit graviſſimis ſymptomatis ſtipata: aſt nunquam periculum majus eſt, quam dum partes internæ contuſione læduntur, uti cerebrum, pulmones, viſcera abdominalia, aut majora vaſa in his cavitatibus contenta; hæ contuſiones ſummum habent periculum adjunctum ob numerum & vehementiam ſymptomatum, ſæpeque mortem pariunt propter præſtantiam, uſus, & ſitum partium affectarum: ætas & ægri temperamentum conſideranda, quæ utplurimum prognoſim pejorem faciunt.

CURATIO.

Contuſioni ſimplici ſæpe medetur aqua frigida ſtatim applicata, quæ vaſculorum contuſorum fractum elaterem reſtituit, inde minor humorum ſtagnationi occaſio præbetur, & vaſcula oſcillantia humores appellentes premunt, & progredi coguntur; ſicque fit humorum reſolutio. Si pars ab uno, alterove die contuſa fuerit; aqua frigida, nix, vel glacies applicata non proſunt, imo humores ſtagnantes magis cogendo nocent, & ſuppurationem excitant. Tunc folia parietariæ, aut pet roſelini in ſartagine frixa, aqua vitæ rectificata imbuta, parti affectæ applicata proſunt; aqua quoque vulneraria dicta contuſioni medetur, ut & ſpiritus vini, aqua Reginæ Hungariæ; ſæpe maximi eſt uſus pulmo vervecis aut vituli calidus, parti admotus;

is

is partibus volatilibus humores coagulatos liquat, vaſculorum elaterem biande ſtimulando ſollicitat, partibuſque unctuoſis fluida ſtagnantia diluit, & vaſcula flexibilia ad oſcillandum aptiora efficit; inde mos eſt, dum lapſu ab alto, aut quovis alio caſu totum corpus contunditur, id involvere pelle vervecis recenter mactati adhuc cruenta & calente, quod non ſemel cum maximo ſucceſſu factum fuiſſe conſtat.

Interim diæta ſit conveniens, plena tamen; ſi æger plethoricus ſit, ſanguinem mittere convenit, imo & purgantia adhibere, ſi ſaburra in primis viis lateat; ad ſanguinem grumoſum præſertim aterendum intus aſſumitur infuſum herbarum vulnerariarum, genevenſium præſertim, vel parandum eſt decoctum cum radice ariſtolochiæ, rotundæ, ſaniculæ, & bugulæ foliis, quæ magnopere ab Auctoribus laudantur; his adjungi poteſt terebinthina veneta ad drachmam unam ſemel in die ſumpta, per aliquot dies continuata; ita balſamum de Copahu ad guttas quindecim, vel ægyptiacum ad guttas quatuor vel quinque, quæ contuſioni ſanandæ conducunt.

Dum echymoſis eſt, ſeu contuſio gravis, eadem remedia ſpirituoſa & volatilia, tam extus quam intus adhibere oportet, ut effuſi ſanguinis reſolutio obtineatur: diæta vero fortior ſit, & ſanguis juxta neceſſitaten mittatur. Verum ſi hæc irrita fuerint, & echymoſis perſeveret, ſuppuratio ſola ei mederi poteſt, adeoque ea quam cito promovenda, admoto cataplaſmate maturante; ut primum ſigna ſuppurationis apparent, pars illico cultro ſecanda, ut pus collectum effluat; ulcus dein convenienter detergendum, atque mundificandum, unguentis appoſitis ut ſupra, dum de abſceſſu aperto egimus, donec cicatrix firma fiat.

Hoc interim in curatione hujus ulceris annotandum,

dum, non cohibendam esse suppurationem, imo promovendam, donec vascula omnia contusione læsa, suppuratione destructa penitus fuerint, ne suppuratio cohibita pejor recrudescat.

Si arteria aut vena notabilis rupta gravem hæmorrhagiam pariat, ligatura, aut compressione arctanda, ut sanguinis profluvium cohibeatur; si tendo læsus fuerit, suppuratio promovenda, donec pars tendinis læsa ab integris separata fuerit; si os fractum, & in frustula comminutum, pars cultro secanda, ut omnia frustula ossis extrahi possint; vel si majora fuerint, & ossi in pluribus punctis adhæreant, componenda sunt, & vulnus dein convenienter deligandum, promota suppuratione, donec callus in osse factus fuerit, quo facto, de cicatrice inducenda curandum.

Si partes continentes abdominis, thoracis, vel capitis graviter fuerint contusæ, tum ad præcavenda mala quæ ex hac contusione oriri possunt, diæta tenuis instituenda est, phlebotomia sæpius celebranda, ut vasis maxime depletis, sanguinis stagnatio in parte interna præcaveatur, nec expectandum donec symptomata gravissima fiant; nam utprimum ea apparent, frustra adhibentur remedia, quia major est partium internarum labes, quam ut remediis vinci possit: tunc prosunt quandoque externa remedia spirituosis & volatilibus partibus fœta, parti externæ applicata, ut aqua vulneraria, spiritus vini; his tamen anteponenda est venæ sectio repetita, qua nullum est remedium efficacius in hac contusione sananda.

CA-

CAPUT VIII.

De Cancro.

Cancer tumor eſt rotundus, durus, inæqualis, coloris lividi, aut ſubnigri, cum eminente apice, dolore lancinante, urente, pungente ſtipatus, vaſa ſanguifera in vicinis habens tumentia, nodoſa, & atra.

DIFFERENTIÆ.

Duæ ſunt hujus affectus ſpecies: cancer enim vel eſt occultus ſive non ulceratus, qui proprie carcinoma audit, vel eſt ulceratus, & a Græcis *Phagedæna* dicitur; tunc ulcus eſt aſpectu horribile, cum labiis inverſis, duris, fungoſis, pallidorubris; raro pus albicans, utplurimum ſerum acre, flavum & fetens effundit; ſerpens ab una parte in aliam vermiculos non raro generat; ſi gangræna acceſſerit, fetorem cadaveroſum ſpargit, perſeverante dolore lancinante, urente, & pungente. Cancer ulceratus prioris ſoboles eſt.

Cancer partes glanduloſas, mammas præſertim, imo labia, nares, os, axillas, inguina occupat, nulli parti glanduloſæ tam externæ quam internæ parcit. Mulieres præ viris aggreditur; eas invadit quæ per uterum non recte purgantur; accidit ea ætate potiſſimum, qua catamenia juxta naturæ leges ceſſare ſolent, aut dum penitus deſierunt; ætas ſenilis juvenili, cancro magis obnoxia eſt, cachectici & cacochymici eo cæteris frequentius afficiuntur.

CAUSÆ.

Modo abſque ulla cauſa externa invadit, quandoque natales debet contuſioni, preſſioni, aut applicationi topicorum fortiorum ad ſcirrum reſolvendum; dum a contuſione vel preſſione fit, non exiſtimandum ob eam unicè cauſam cancrum productum fuiſſe; niſi enim adſit peſſima fluidorum craſis, contuſio vel preſſio nunquam generant cancrum; ergo peſſima fluidorum craſis, ſeu labes, vera eſt cancri cauſa efficiens, contuſio, vel preſſio occaſionalis tantùm.

Is tumor incipit a tuberculo duro, rotundo, doloris experte, niſi valide prematur, tunc dolor levis fere nullus fit, qui cito evaneſcit; ergo cancer in initio verus eſt ſcirrus, qui lente & paulatim incrementum ſuſcipit, creſcente tumore, dolor excitatur mitis & tolerabilis, qui acutus & lancinans fit, dum tumor majus incrementum accipit: cum tumor ad magnitudinem notabilem pervenit, vaſa ſanguifera in vicinia tumoris intumeſcunt, livida evadunt, quandoque nodoſa; calor naturalis cutis tumorem tegentis in lividum, aut ſubnigrum mutatur; tunc dolor lancinans, fere continuus, apex in tumore eminet, ubi cutis valida extenſione extenuatur, tandem rumpitur, ſerumque flavum acerrimum exit; rima hæc cruſta ſæpe obducitur, quæ frequenter decidit & renovatur, facta ſingulis diebus ſeri acerrimi tranſudatione: tandem citius aut tardius ruptio vaſculorum creſcit, creſcit quoque cutis ſolutio, augetur ſeri acerrimi & fetentis quantitas; ulcus demum producitur cum omnibus ſuperius recenſitis.

Ex his liquet lympham potiſſimum affici in cancro, cum partes glanduloſas præcipue occupet, & ſenſim per plures gradus accretionis tranſeat, quæ ſanguini proprie dicto minus convenire videntur.

Li-

Liquet adhuc lympham ſpiſſitudine peccare, cum cancer verus ſcirrus ſit in ſuo initio. Liquet demum non ſola ſpiſſitudine lympham vitiari, aliter ſcirrus idem ſemper maneret, neque in cancrum mutaretur, imo ſcirrum aliquando ſuppurare conſtat, neque tamen cancrum eſſe exulceratum; ex his manifeſtum eſt cauſam proximam & efficientem cancri eſſe lympham ſpiſſam, concretam, quamplurimis particulis duris, ſalino-terreis gravidam. Hæ vero particulæ partibus lymphæ gelatinoſis admixtæ, harumque interſtitia ſeu poros replentes, ejus fluiditatem minuunt & tollunt, eaſque in grumos & concreta convertunt, quibus lymphatica vaſa partium glanduloſarum obſtruuntur; inde facile patet cur cancer extirpatus in altera parte generetur; cur dum cancer a cauſa interna producitur, ſæpe extirpatione non ſanetur, & gravior recrudeſcat.

Hanc lymphæ pravam craſim plura pariunt, uti vigiliæ, & exercitia immodica, animi pathemata vehementiora diu afficientia, uſus ciborum ſalſorum, piperatorum, potus nimius vini, & liquorum ardentium præcipue, venus effrænata, morbi venerei neglecti, aut male ſanati, evacuationes ſolitæ ſuppreſſæ, ut catameniorum, fluxus hæmorrhoidalis, topica fortiora, & acriora tumori ſcirroſo admota, cauſtica ipſi applicata, aperientia, & incidentia fortiora ad eum ſanandum intus aſſumpta: ad cancrum producendum conferunt temperies ſicca, ſalſuginoſa, ætas ſenilis, quia ſanguis in hac ætate, & temperie, partibus ſeroſis, & unctuoſis orbatus, ſalino terreis, ſive tartareis dives admodum eſt, adeoque lympha ſpiſſa pluribus particulis duris, ſalinis, terreis gravida eſt.

SYMPTOMATA.

1. Cancer in principio tumor eſt durus, rotundus, quia obſtructio fit paulatim a lympha ſpiſſa concreta in ductibus lymphaticis glandularum, adeoque nullus dolor in principio.

2. Dum tumor excreſcit & augetur, accedit dolor, qui tactu & preſſione præcipue excitatur, quia tunicis vaſorum in particulas duras & ſcabras preſſis, fibrillæ nerveæ valide diſtrahuntur.

3. Ut primum cancer ad magnitudinem inſignem pervenit, dolor eſt aſſiduus, lancinans, urens; tum multiplicatis lymphaticorum ductuum obſtructionibus, vaſa ſanguifera comprimi, ſanguiniſque motum progreſſivum intercipi neceſſe eſt, idcirco arterias ſanguine magis repleri, validiuſque oſcillare ſequitur: hac validiori oſcillatione vaſorum ſanguiferorum duo neceſſario fiunt. 1. Major & continua fit fibrillarum nervearum diſtractio. 2. Vaſa oſcillantia in ductus lymphaticos vicinos obſtructos validius impetunt; ergo tunicæ vaſorum a particulis duris & ſcabris lacerantur, inde dolor ille continuus, lancinans.

4. Ruptis vaſculis lymphaticis, ſanguiferiſque, ſerum effunditur acre, flavum, quandoque loturæ carnium ſimile, unde tumor cancroſus in parte eminente molleſcere videtur.

5. Vaſa ſanguifera atro ſanguine repleta videntur in vicinia cancri, quod e ſumme præpedito ſanguinis motu deducitur; ex eadem cauſa fit, ut tumor ſubniger, & lividus videtur.

6. Tumor cancroſus inæqualis eſt, quia ex pluribus glandulis obſtructis & inæqualiter tumentibus componitur, imo in eo apex eminet, ubi nempe major eſt glandularum obſtructarum intumeſcentia.

7. Cutis admodum diſtracta & extenſa tenuis fit, hæc vero diſtractio tanta quandoque eſt, ut ad par-

partes vicinas extendatur: verum certi sunt extensionis gradus, post quos rima cutis extensæ fit, per quam exit serum viscidum, acre tamen, & flavum, quod aere exsiccatum in crustam mutatur rimam obtegentem.

8. Tunc facta ulteriori seri, & sanguinis effusione, ob multiplicatam vasorum ruptionem, & sero ab aere per rimam penetrante acriori facto, crescit tandem rima, & cancer exulceratur; ulcus vero mirum in modum intra paucum tempus crescit, vasis undique a sero acerrimo erosis, aut a valida distractione a sanguine difficile circulante facta, tunc labia invertuntur, ulcus fit aspectu horribile, serum acerrimum, flavum, fetens admodum evomens, effusa fluida ab aere commota, & agitata putrescunt; unde fetor cadaverosus cum gangræna: verum tanta est seri hujus acredo, ut partes vicinas cito depascat.

9. Cancro exulcerato dolor non mitigatur, quin imo intenditur, quia rupto tumore, motus sanguinis progressivus magis præpeditur, distractio fibrillarum nervearum major est, cum ab aere serum purulentum acrius fibrillas nerveas validius pungit, neque doloris sensationi obstat durities cancri, quia vasa sanguifera tumorem cancrosum perreptantia adhuc mollia dolorem efficere possunt: sanguinem autem copiosius tumorem cancrosum, quam scirrum permeare ex hoc liquet, quod tumor scirrosus sectus ubique fere albescat, & sanguinem paucum fundat; tumor vero cancrosus in omnibus fere punctis livet, inde hæmorrhagia ex ulcere cancroso sæpe fit. Præterea glandula quælibet ex aliis quamplurimis exilissimis conflatur, quæ fibrillis nerveis transversis nectuntur; hæ vero fibrillæ a glandulis intumescentibus distractæ doloris impressionem suscipere possunt: in scirro, nihil est quod fibras distrahere aut punge-

re

re valeat, ex quo facile intelligitur, ſcirrum admotis acrioribus, ac potentioribus topicis in cancrum converti, exaltatis ac commotis partibus duris & aſperis antea quieſcentibus, dummodo lympha indurata ſcirrum efficiens ſalinis partibus ſit feta; neque is dolor in partibus cancro vicinis fit, ut nonnulli dicunt, cum dolor ulceris cancroſi exacerbetur, admotis unguentis, vel etiam ſi intus leviter tangatur.

10. A dolore cancrum comitante, a peſſima indole ſeri purulenti ſanguinem penetrantis, febris lenta, vigiliæ immodicæ, virium proſtratio, macies inſignis, mors etiam, qua hæc terminantur, repetenda ſunt. Hæc a cauſis memoratis tam facile fluunt, ut nulla explicatione egeant. Plura cancro adjunguntur altera ſymptomata, quæ a morborum complicatione, a parte affecta producuntur.

DIAGNOSIS.

Cancer ex allatis facile noſcitur, duo ſunt quæ ejus eſſentiam conſtituunt, durities nempe & dolor lancinans; in principio verus ſcirrus eſt, ſive tumor durus & indolens: cancer vero fit, dum dolor accedit; inde in principio non ſemper cognitu facilis, quia ſcirrus, qui in ſuppurationem abit, dolet; quoniam vero ſcirrus non dolet, niſi quia inflammatione corripitur, idcirco calet & rubet; ergo quoties tumor durus, ſcirroſus dolet ſine ullo rubore & calore, toties illud indicat in cancrum converti.

Cancer exulceratus facile ſignis allatis noſcitur, & ab ulcere cancroſo diſtinguitur, quia ulcus cancroſum abſque tumore incipit, verum perſeverante ulcere, labia fiunt dura & inverſa.

Quamvis cancer utplurimum partes glandulaſas oc-

occupet, fit tamen quandoque in partibus membranosis, & carnosis, quia in his quoque partibus vasa lymphatica non desunt, quæ cancro efformando apta quandoque fiunt.

An cancer a causa tantum interna producatur, an ad eum efficiendum causa externa concurrat, ex relatu ægrotantis Medicus assequetur. Dum in partibus internis sedem habet, difficilius cognoscitur, suspicatur tamen ex dolore lancinante & urente, diu eamdem partem occupante, ex irrita medicaminum vi, febre lenta, macie, & atrophia totius corporis.

PROGNOSIS.

Cancer sive occultus, sive exulceratus gravissimus est affectus, plerumque lethalis; occultus a causa tantum interna ortus facile exulceratur, non ita cui causa externa natales præbuit. A quacumque causa cancer oriatur, nihil ei applicandum; nam in euchymis occulti cancri quiescentis facilis toleratio, moti rabies. Id confirmat Hyppocrates Sect. 6. Aphor. 38. quibus cancri occulti adsunt non curare melius est; curati enim citius intereunt, non curati longiori tempore vivunt; nihil enim pejus cancrum exulcerari.

Cancer qui faciem occupat cæteris gravior est, omnibus enim admotis remediis irritatur, & ad partes vicinas serpit, oculos, palatum, fauces: hinc detestabile nomen, *Noli me tangere*, sortitum est malum hoc. Cancer parvus, incipiens, liber, loco apto situs, vasis magnis non accretus, a causa externa ortus, in juvenili, sanoque corpore, illico ferro abscindendus est, si solus sit in toto corpore: si multum accreverit, aut exulceratus fuerit, operationis eventus maxime dubius, quia sanguis plurima materia cancrosa inquinatus, aut cicatri-

cem

cem fieri impedit, aut cancrum in altera parte generat; ergo ratione durationis morbi, ægrotantis virium, ætatis & temperiei diversa est ferenda prognosis.

CURATIO.

Cancri occulti & exulcerati duplex est curatio, palliativa alia, alia radicalis. Curatio palliativa cancri occulti internis potius absolvenda est remediis, externis quæ cancrum occultum exulcerant. Quidam suadent cancro occulto applicare linrea reduplicata, urina recenti madida; alii arenam maris laudibus extollunt: interim veros cancros hac methodo fuisse sanatos nunquam vidi. Melius est nullum applicare remedium, sed lymphæ spissitudinem, & crasim salsuginosam remediis internis emendare; idcirco blanda purgantia ex tamarindis, cassia, senna & manna paranda sunt. Dein juscula pullorum cum cancris fluviatilibus & millepedis parata, quæ in hoc morbo tanquam specifica habentur; incidunt enim lympham spissam, & acrem, & per vias urinarias eliminant: iis succedit usus lactis asinini & vaccini, imo diæta lactea, qua nihil utilius ad dolorem cancri mitigandum, ejusdem progressus præcavendos; diu vero & per plures annos, æger diæta lactea utatur, exhibito bis aut ter in hebdomada pulvere ex chinachina, terra Japonensi, & pulvere millepedarum ana scrupulo uno, raro adhibenda sunt purgantia, solum dum necessitas exigit.

Ast dum cancer occultus parvus est, incipiens, liber, id est partibus vicinis non adhærens, in loco apto ut excindatur, a causa præsertim externa ortus, ægerque in ætate juvenili est, viribus, & temperie bona præditus, excisio cancri est tentanda, ni a causa venerea oriatur; tunc frictiones mer-

mercuriales prudenter adhibendæ ſunt, quibus cancer quandoque ſanatur, aut ſaltem, viru e maſſa ſanguinis expurgato, felicior erit operationis eventus. Priuſquam excifio cancri fiat, æger præparandus eſt, venæ ſectione convenienter repetita, blanda purgatione, juſculis pullorum, ſero lactis clarificato, imo lacte aſinino & vaccino, ſi neceſſe ſit, dein excifio facienda, & vulnus blandis unguentis deligandum; & quia febris adeſt, diæta debet eſſe tenuis & refrigerans; venæ ſectio iteranda, dolor narcoticis compeſcendus; febre remiſſa, & purgatione blanda exhibita, ad lac properare oportet, imo diæta lactea uti, modo vires ſtomachi permittant, quo nihil præſtantius ad ſanguinem edulcandum, dolorem mitigandum, & tandem bonam cicatricem inducendam.

Sed ſi cancer jam ulceratus fuerit, raro operatio uſum habet, ni cancer parvus ſit, liber, recenter exulceratus, a cauſa externa ortus, & vires ægri vigeant, non macilentus, & optimo temperamento præditus ſit; ſi quædam horum deſint, non exſpectanda ſalus; quin operatio ægri interitum accelerat. Nec melius ſuccedunt cauſtica arſenicalia, quæ nonnulli adhibent; hæc malum exaſperant, & non tollunt; tunc ergo curatio palliativa ſolum adhibenda; idcirco non neglectis medicamentis internis, ſuperius propoſitis, cum convenienti victus regimine, topica cancro exulcerato applicanda ſunt: varia autem adhibentur, imo & adhibere convenit ad dolorem mitigandum, qui a nonnullis exacerbatur; proſunt quandoque folia ſolani ſcandentis, baccis nigricantibus, coſtis reſectis, applicata; nonnunquam folia ſolani hortenſis, hyoſciami hortenſis, & plantaginis; in aqua hordei decoquuntur, & ſplenia hoc decocto imbuta ulceri apponuntur. Quidam cancro exulcerato oleum amygdalarum dulcium ſine igne paratum, vel oleum ovorum recens illi-

niunt; his oleis modo mitigatur dolor, modo vero intenditur; prodeſt aliquando ceratum ex oleo amygdalarum & cera nova ſimul mixtis compoſitum, ad dolorem ulceris mitigandum, ejuſque progreſſum retardandum; plerumque proſunt plumbi præparationes, ex quibus unguenta varia parantur ſic.

℞. *Olei amygdalar. dulc. unc. ij. ceræ albæ dr. vj. plumbi uſt. ac loti unc. ſem. oleum cum cera liquefiat, & addito plumbo agitentur per ſex horas in mortario plumbeo, fiat ceratum.*

Aliud ſic parari poteſt.

℞. *Succ. ſolani hortenſ. depurat. lib. ſem. teratur in mortar. plumbeo, donec craſſeſcat, & plumbi colorem acquirat, tunc admiſceatur exacte ceruſæ & lithargyrii ana unc. j. fiat unguent.*

Nonnulli maxime extollunt unguentum de ranis viridibus, cujus hæc eſt deſcriptio.

℞. *Ranas virides in aquis puris degentes n. xv. eas conjice in vas fictile vitreatum, multiſque exiguis foraminibus in fundo pertuſum, illarum ora butyro imple, hinc vas, ne quid exhalet, luto diligenter oblinito, cui alterum, effoſſa terra, concluſum ſuppone, ignemque in ambitu accende, dein liquorem ſtillantem colligе, & cum ranarum pulvere exacte miſce pro linimento.*

Quandoque paratur unguentum cum jure ranarum contuſarum, & expreſſarum; jus illud in mortario marmoreo teritur, additaque ceræ albæ ſufficienti quantitate, fit unguentum; aliqui carnem vitulinam crudam cancro ulcerato imponunt, ut

vis

vis rodens materiei purulentæ, ſucco mucilaginoſo carnis vitulinæ temperetur. Plura ab aliis laudantur medicamina quæ irrita ſunt, ea tamen noſcere oportet, ut ſucceſſive apponantur, & quod magis proficuum fuerit, adhibeatur; ſæpius in die ulcus deligetur, ne pus mora longiori acrius fiat, qualibet vice lotione anodyna ulcus mundandum.

Dum hæc cancro ulcerato apponuntur, non negligenda diæta, præſertim lactea, quæ plerumque cancri ulcerati progreſſus non parum retardat.

CAPUT IX.

De Strumis.

STrumæ ſunt tumores glandularum frigidi, duri, tactui reſiſtentes, & plerumque mobiles. Afficiunt præſertim glandulas colli, manuum, & pedum, axillares & inguinales; carnoſis etiam partibus quandoque non parcunt, tandem partes internas æque ac externas afficiunt.

DIFFERENTIÆ.

Dividuntur in benignas & malignas; benignæ judicantur, dum tumor rubicundus æqualis eſt, nec admodum durus, ſine dolore & inflammatione; malignæ vero cenſentur, quæ ad ſcirri duritiem accedunt, inæquales ſunt, & adjunctam habent inflammationem cum dolore pulſante, unde ſuppuratio expectanda, aut fiet tumoris mutatio in cancrum. Ruſſus ſunt hæreditariæ, vel adventitiæ, prout a parentibus in prolem tranſmittuntur, aut poſt nativitatem accidunt ob errorem commiſſum.

Hi tumores in principio minimi cuti concolo-

res indurescunt, & scirri naturam æmulantur; lente accrescunt, molles fiunt, dolor levis & profundus adest, præsertim dum comprimuntur, tumor dein rubore afficitur, & suppuratio fit; quandoque dolor & durities absque rubore accrescunt; tumor intus suppurat, carie ossa subjecta corripiuntur priusquam certa suppurationis signa appareant; tumore suppurato & aperto, materia purulenta, viscida, pallida, albicans, aut flava, virescens, sine fetore ejicitur, ulcusque generatur non facile sanandum.

CAUSÆ.

Lympham spissam, particulis salinis fetam, pro strumarum causa fere omnes agnoscunt; interim quoniam lympham spissam glandulosas partes obstruere, ac in tumorem attollere, sine ulla strumarum suspicione constat, ut dum viscera abdominalia glandulæ mesenterii, imo glandulæ externæ post febrem intermittentem, diu perseverantem obstruuntur ac tument; inde inferre licet solam spissitudinem lymphæ ad strumas generandas non sufficere: insuper quædam sunt medicamina, quæ veluti specifica ad strumas debellandas ab omnibus Medicis habentur; ergo strumæ a causa peculiari, quam virus scrofulosum Medici vocant, necessario dependent; idcirco illud determinare impossibile est: a posteriori tamen, seu ab ejus effectibus, naturam ejus acidam esse, adeoque ad lympham spissandam idoneam affirmari potest, quod adhuc ab iis quæ strumas remote pariunt, confirmatum videtur; nam strumas remote pariunt lues venerea confirmata neglecta, aut male sanata; item lac pravum, quo infans alitur, luis strumosæ in illius infantis corpore seminia gignit, ut si nutrix vinum epotet, alimenta acida, cruda voraciter comedat, venerem acrius ex-

expetat, aut expleat, vel vehementi animi pathemate frequenter corripiatur, ut ita, terrore, mœrore, curis, &c. Si vinum puero lac ſugenti detur, aut ſi ablactatus epotet; item ſi carne, vel piſcibus ſale marino conditis veſcatur, aut fructibus immaturis, vel alimentis acidis: adultis etiam accidunt ſtrumæ propter animi pathemata diu graviter afficientia, errores in victus regimine commiſſos; demum lues illa per hæreditatem a parentibus in prolem tranſmittitur; opinio multorum eſt per contagium communicari, & ideo in noſocomiis pueros ſtrumoſos a ſanis ſeparare ſolent. Strumæ pueros præ adultis aggrediuntur; nec ulli ætati, ſexuive parcunt; mulieres cachecticæ, ſuppreſſis catameniis, ſtrumas conſtruunt.

SYMPTOMATA.

1. Strumæ incipiunt a tumore minimo cuti concolore & ſcirri naturam æmulante, quia fiunt a lympha ſpiſſa, ductus glandularum lymphaticos obſtruente; hi in contextu glandularum adeo inflectuntur, ut niſi lympha fluida admodum ſit, eos libere permeare non poſſit; ergo a lympha hærente fit tumor durus ſcirri naturam æmulans, nec color cutis mutatur; quia lympha in glandulis paulatim collecta, ſanguinis circuitum non mutat; inde tumor in principio minimus lente accreſcit, & ideo frigidus nuncupatur.

2. Quoniam lympha ad glandulam jam obſtructam continuo appellit, futurum exinde ut ductuum lymphaticorum obſtructiones multiplicentur, majorque quantitas lymphæ in glandulis colligatur, unde major lymphaticorum repletio & dilatatio, ac per conſequens tumentis glandulæ incrementum citius aut tardius fit, juxta lymphæ ſpiſſitudinis gradum, illiuſque quantitatem, ex qui-

bus etiam patet ratio cur quandoque una glandula, modo vero plures simul in diversis locis strumosæ sint.

3. Qua proportione obstructiones lymphaticorum multiplicantur, majorque lymphæ spissæ copia in glandulis obstructis colligitur, ea quoque lymphaticos ductus magis dilatatos vasa sanguinea comprimere oportet, qua compressione sanguinis circuitus in glandula, & cute eam tegente præpeditur: is vero collectus vasa sua extendit, in ea fortius impetit; fiunt ergo rubor, dolor, & calor, quibus inflammatio designatur: quoniam vero non par est ubique obstructio, modo major in profundo tumoris, modo in ejus superficie, unde fit ut glandulæ strumosæ quandoque doleant, caleant sine ullo rubore externo, modo vero hæc tria in tumore appareant.

4. Repleta nimis vasa sanguifera a sanguine accedente, & impetente continuo distenta tandem rumpuntur, item a vasis sanguiferis fortius oscillantibus lympha in suis ductibus hærens, premitur; portio ejus fluida effervescit; ergo simul rumpuntur ductus lymphatici, fitque suppuratio.

5. Verum par non est ubique in glandula obstructio, ergo neque eadem est omnium vasorum repletio, atque dilatatio; sed quæ magis replentur & dilatantur vasa, ea quoque citius rumpi oportet; ergo suppuratio modo in profundo tumoris, modo in superficie incipit. In quacumque vero parte incipiat, tumor debet emollescere, quia vasa rupta, suis effusis liquidis depleta, collapsa mollitiem tumoris efficiunt.

6. Si pus in superficie tumoris fiat, ibi quoque mollities major percipitur, ruptaque cute dein exit; si contra suppuratio fit in profundo tumoris, minor apparet glandulæ mollities. Interim pus genitum partes vicinas lædit, inde ulcera fistulosa nascun-

ſcuntur, & ſi glandula ſuppurata oſſi cuidam adjaceat, eroſo perioſteo, cariem oſſi infert: ſi in articulo ſedem habeat, pus, cartilagines, ligamenta, oſſa ipſa articulata corrumpit, unde varia mala oriuntur.

7. Apertio abſceſſus in glandula ſtrumoſa facta, aut puris eroſione, aut cutis extenſione, quæ magis, ac magis tenuior fit, ac tandem rumpitur, vel ferro, pus exit ſpiſſum pallido-albicans, virideſcens aut flavum, id majori ex parte ex lympha ſpiſſa fit, parciore & minima, ex parte ſanguinis purpurea, ergo lymphæ ſpiſſæ indolem retinet: quoniam vero ſuppurationem inflammatio ſemper antecedit, ergo a calore, qui inflammationis comes eſt inſeparabilis, lympha varios acquirit colores.

8. Febris accedente inflammatione plerumque incipit, facta ſuppuratione a particulis purulentis cum ſanguine permixtis. Perſeverat, & in lentam mutatur, unde alia oriuntur ſymptomata. Attamen ſi una tantum glandula ſit affecta, ſi inflammatio gravis non ſit, ſuppuratio ſine febre accidit: at ſi plures ſimul glandulæ in ſuppurationem abeant, aut ſi una tantum ſuppurans mole maxima ſit, gravi corripiatur inflammatione, vel in parte admodum ſenſibili ſita ſit, ut in manu, in pede, febris ſuppurationem comitatur: rurſus etiam ſi una fuerit ſuppurans, ſi æger cachecticus aut macilentus ſit, glandula abſque febre non ſuppurat, quæ rupto abſceſſu, in lentam cito mutatur.

9. Dum ſtrumæ in partibus internis fiunt, plura eis adjunguntur ſymptomata, ab indole & uſu partis affectæ repetenda; hæ ſtrumæ internæ nunquam in ſuppuratum abeunt ſine febre. Rurſus quoniam pus in tumore ſtrumoſo genitum nulla via ejici poteſt, partes vicinas corrumpit, idcirco febris lenta, quam tabes & mors excipiunt: imo tametſi

via quædam puri pateat, qua foras duci poſſit, nihilominus tamen ob puris moram & ſtagnationem, febris lenta, tabes, & mors plerumque ſtrumas internas ſequuntur.

DIAGNOSIS.

Quoties glandulæ colli, manuum aut pedum tumore duro, inæquali, doloris experte, in initio paulatim creſcente corripiuntur, toties ſtrumas adeſſe indicatur: hæ ſimplices ſeu benignæ ſunt; malignæ vero ſi celerius accreſcant, rubeant, caleant, doleant; tandem ſi tumores rubri, calidi ſint, & emolleſcant, jam ſuppuratio incipit, aperti tumores pus evomentes in ulcera mutantur, quæ difficile ad cicatricem perducuntur.

Strumæ partes externas afficientes, facile tactu & viſu noſcuntur; quæ in partibus internis fiunt, difficillime. Strumarum internarum non levis eſt ſuſpicio, ſi æger abſque ullo affectu præcedente, febre lenta correptus, tumores ſtrumoſos ab infantia paſſus fuerit, aut a parentibus ſtrumoſis natales acceperit, vel lac nutricis ſuxerit lue ſcrofuloſa ſuſpectæ. Signa cauſarum ab ægri & aſtantium relatu petenda ſunt, quibus Medicus ſciet an ſtrumæ hæreditariæ, contagioſæ, vel acquiſitæ ſint; a lue venerea, vel ſcorbutica ortum habeant.

PROGNOSIS.

Strumæ ſunt affectus chronicus, qui remediis non facile cedit, ſed potius ætatis mutatione ſanabilis: ex quo ſequitur ſtrumas in adultis erumpentes fere nunquam ſanari; dum vero in infantibus fiunt, major affulget ſalutis ſpes. Interim ut clarior prognoſis afferatur, ſtrumarum prognoſis petenda eſt 1. A tumoris indole & numero. 2. A ſymptoma-

tum

tum vehementia. 3. Ab earum ſede. Si unicus erumpat tumor ſcrofuloſus, iſque benignus ſit, major affulget ſalutis ſpes, niſi ab hæreditaria lue naſcatur; nam tunc aut reſolvitur, aut progreſſus nullos facit; & ſi progreſſus ejus metuatur, ferro ſecari poteſt; ſi plures e contra ſimul erumpant, uti major labes humorum indicatur, ita minor eſt & fere nulla ſalutis ſpes. Strumæ exulceratæ majus habent periculum quam non ulceratæ. Pus febrem lentam & tabem parit: quo plures ſimul tumores ſuppurant, eo quoque majus periculum. Rurſus quo ſtrumæ magis dolent, eo graviores judicandæ; nam præterquam quod plura mala a dolore oriri poſſunt, ſtrumæ ſumme dolentes cancroſæ quandoque fiunt: Demum ſedes ſtrumarum conſideranda. Dum ſtrumæ prope tendines, articulos, aut majora vaſa collocantur, graviora mala afferunt, ut tendinum ulcera, caries oſſium, graves hæmorrhagias, quibus Medicina vix mederi poteſt; ex quibus infelix eventus exſpectandus eſt. Strumæ in partibus internis nunquam ſanantur, externis facilius ſuppuratæ ſemper lethales, quia via nulla puri patet qua foras ducatur, idcirco pus partes vicinas cito corrumpit, febris lenta, macies corporis, virium & appetitus proſtratio, ſanguinis maſſam lue ſtrumoſa maxime inquinatam demonſtrant.

CURATIO.

Dum unicus tumor ſtrumoſus, iſque benignus in infante erumpit, nullum remedium ei imponendum eſt, ut ſuppuratio vitetur; ſed præſcripta diæta convenienti, exulatis omnibus piperatis, ſalitis, crudis, acidis cibis, modice & convenienter cibetur, nec non identidem præſcripta potione purgante blanda, ad cruditates primarum viarum eliminandas; ſæpe tutius eſt tumoris reſolutionem naturæ viribus commit-

mittere, quæ pubertate accedente utplurimum fit, quam topica resolventia apponere, ut emplastrum de Vigo, & mucilagine ad partes æquales admixtæ, vel emplastrum de cicuta, de sulphure, de sapone, aut diabotanum: hæc plerumque suppurationem citius quam resolutionem promovent, idcirco vitanda: si quæ sint tunc medicamina adhibenda, interna externis anteponenda sunt, quibus lympha leviter incidatur, diluatur, & edulcetur. Ad obtinendum conducunt jusculacancrorum fluviatilium, celebrata ante & post purgatione; dein lac asininum aut caprillum per duos menses hauriendum, quæ Vere & Autumno quotannis fieri possunt; ad ea medicamina opportune præscribenda, ratio ætatis habeatur, ut dosi convenienti exhibeantur.

Si vero unus aut plures simul adsint tumores maligni suppurantes, tunc iisdem præscriptis remediis internis mundificantia & detergentia tumori suppuranti apponenda sunt: observandum prius an pus in parte suppurante hæreat, nec exire facile possit; si res ita se habeat, cutis & caro incidendæ sunt, donec libera puri via pateat, secus enim nunquam incidere oportet, quia tumor incisionibus sæpe exasperatur, tunc adhibere convenit unguentum basilicum, vel digestivum ex terebinthina lota, oleo hyperici, & duobus ovi vitellis paratum cui myrrha & aloes pulveratæ adduntur. Quandoque unguentum viride, vel mundificativum de apio prosunt, præsertim si caro fungosa in ulcere gignatur, imo ad lapidem causticum confugere necesse est, si caro fungosa creverit, vel ulceris labia callo indurentur. Quoties vero ulcus deligabitur, lotio ulceris fiet cum decocto vulnerario, vel aquis bellilucanis; quin imo si ulcus profundum sit, si tendo quidam lædatur, vel ossa carie fuerint affecta, optimum est partem in aquis bellilucanis calidis per horæ quadrantem detinere, dein ulcus de-

deligare. Quandoque contigit ut ossa carie affecta sanata fuerint, fistulaque ossis carie affecti integre separata: id adhuc melius præstant aquæ Baregienses, quæ ulceribus tendinum, ossiumque cariei præstantius medentur, adeo ut non pauci pueri his aquis sanati fuerint.

Si hæc quoque nihil prosint, diæta imperanda est conveniens, deligatio ulceris, ut supra, facienda; & si caro ita intumescat, ut puris exitum impediat, tunc ut via patula servetur, intromittenda est spongia præparata, quæ serositatibus inflata labia ulceris dilatat, viamque puri præbet liberiorem, hæc incisioni semper anteponenda, quia mitior est. Expectandum sic donec infans ad pubertatis tempus perveniat; hac enim ætate mutationes in corpore fiunt, roburque fibris additur, crescunt vires vasorum, quibus lympha spissa debitam fluxilitatem adipiscitur, ut sæpius experientia confirmatur.

Si tumor suppurans ætatis mutatione non sanetur, ejus non exspectanda curatio, at potius febris lenta, tabes & mors, quæ strumis malignis ante pubertatis tempus nonnunquam accidunt. Ast si tumor strumosus cancri naturam acquirat, irrita est omnium medicaminum vis; item si strumæ partes internas occupent, raro sanantur; sæpius vero ægros interimunt, accedente suppuratione.

Quoniam tumores strumosi a gummosis atibus, aliisque tumoribus venereis parum differre videntur: præterea cum strumæ lui venereæ neglectæ, vel male curatæ plerumque succedant, ex eo nonnulli opinati sunt mercurium, uti luem veneream, ita & strumosam extirpare posse: idcirco præparationes mercurii intus sumendas commendant; imo quidam, adhibitis frictionibus cum unguento mercurii, uti ad luem veneream curandam fieri solet, strumas radicitus sanari posse autumant. Verum even-

eventus tantam ſpem fefellit; etenim nec præparationes mercurii, aliave medicamenta antivenerea intus aſſumpta, neque frictiones cum unguento mercurii, prudenter & methodice adhibitæ, diram hanc luem ullo modo domarunt, ita teſtante experientia pluries repetita: verum eſt ulcera ſtrumoſa mitigata videri, tumores vero emolliri, imo quadantenus minui, utprimum adhibetur mercurius: aſt dein & ulcera & tumores exacerbantur; ſuppuratio major & gravior fit; tandem citius perit infans adhibita hydrargiroſi. Ex eo fit ut ſaniores Medici frictiones ad ſtrumas ſanandas non adhibeant, aut ſi, parentibus ægrorum efflagitantibus, remedium concedant, nec ſalutem promittunt, imo neque morbi mitigationem.

CAPUT X.

De Atheromate, Steatomate, & Meliceride.

HOs tres tumores eodem capite amplectimur, quia parum inter ſe diſcrepant, eodem modo fiunt & curantur.

Eſt autem Atheroma tumor indolens cuti concolor; digitis non facile cedens, ab humore pulti ſimili, proprio folliculo incluſo ortus.

Steatoma tumor eſt cuti concolor, in principio exiguus, augmentum ſenſim ſumens, digitis non facile cedens, iis remotis ad priorem magnitudinem facile rediens, a materie ſebo ſimili proprio folliculo comprehenſa ortum habens.

Meliceris eſt tumor indolens, cuti concolor, rotundus, digitorum preſſioni cedens, iis remotis ad priſtinam molem celeriter rediens, ab humore mellis colorem & conſiſtentiam æmulante, proprio fol-

folliculo incluſo genitus: Meliceris magis quam Atheroma extenditur.

CAUSÆ.

Hi tres tumores tunicati dicuntur, quia folliculum habent, humorem, a quo tumor efficitur, continentem. Rurſus a lympha per varios ſpiſſitudinis gradus tranſeunte generantur, adeoque aut glandulas lymphaticas, aut partes pluribus venis lymphaticis inſtructas adoriuntur; verum plura ſont, quæ lympham ſpiſſeſcere valent, & quæ ſuperius fuſe expoſita ſunt, ea repetere inutile prorſus eſt, quapropter id ſolum quod in his tumoribus proprium & ſingulare eſt, exponemus, nempe modum, quo folliculus generatur, inquiremus. Eum a proprio humore contento generari aliqui contendunt; cujus partes craſſiores & quiete unitæ folliculum efformant, eodem modo ac vidimus in ſuperficie pultis refrigeſcentis, olei, vini, aceti, pluriumque liquorum in vaſis contentorum, pellem horum tumorum folliculo fere ſimilem generari; verum folliculus ab illa pelle maxime differt, ex eo quod organizatus ſit, immerſus etiam diu in aqua, ſpiritu vini, aliiſque liquoribus non ſolvatur, quod extenſione etiam forti non rumpatur, quæ pelli laudatæ non conveniunt, quæ nec organizata videtur, nec preſſioni reſiſtit, ſed levi attractione in ſruſtula minima rumpitur. Quoniam vero folliculus in glandulis lymphaticis fit, continetque lympham ſpiſſam, ſequitur a vaſis lymphaticis admodum dilatatis hunc generari: vaſa lymphatica nodis quamplurimis, ſeu veſiculis conflata, Anatomia docet; ea vero utpote multum diſtractilia impenſe dilatari poſſe, modo vis dilatans ſenſim in eorum tunicas agat, experientia demonſtrat; ideo lympha ſpiſſa in ductu lymphatico-

hæ

hærens ejus veſiculas dilatabit, & in tumorem attollet, quæ ductus lymphaticos, cæteraque vaſa vicina preſſione paulatim obliterabunt, ſicque uberior fiet lymphæ efflluxus ad vas dilatatum, quod idcirco majus incrementum ſuſcipiet, inde cætera vaſa magis ac magis preſſa obliterantur, vaſque lymphaticum magis tumidum, non ſolum interiora glandulæ occupat, verum etiam ejus membranas communes extendit & dilatat, imo a vi dilatante minima quidem, ſed continuo agente cutis ipſa, cui glandula ſubjacet, extrorſum pellitur, & tumor major, aut minor generatur, juxta quantitatem lymphæ collectæ, & reſiſtentiæ gradum, tum membranarum glandulæ, cum ipſius cutis: interim vaſcula tunicas ductus lymphatici ampliati componentia, extenſa ſuis liquidis non orbata flexibilia creſcunt, majorem liquidi copiam admittunt, quia parte lymphæ tenuiori replentur; ergo tunicæ vaſis lymphatici præter naturam ampliati craſſiores evadunt; ergo folliculus ex his tunicis conflatus ſat validus efficitur ut tantam humoris copiam ſine ruptione concludat. Hæc confirmant varices, aneuriſmata, hydatides præſertim inſignis mollis, quæ nonnunquam in partibus internis fiunt, imo & magnitudo illa ſtupenda, quam partes etiam exiguæ in nonnullis morbis acquirunt, quæ profecto ſatis demonſtrant quantum vaſa dilatari poſſunt, modo vis dilatans ſenſim agat. Rurſus glandula quævis ſenſibilis plurimis aliis glandulis inſenſibilibus conflatur, quarum veſiculæ pari modo tumere poſſunt, harum veſiculæ tumentes mutuo ſe comprimunt; ea preſſione harum tunicæ tenuiores fiunt, paulatim rumpuntur, ruptæ invicem adhærens, adhærentes unicam tunicam componunt, ſicque amplum fit ſpatium, in quo humor lymphaticus colligitur. Is vero per ductus ſuos accedens, in id ſpatium continuo effunditur, quæ idcirco majus ac-

accipit incrementum, sic folliculum utroque modo generari posse concipitur.

SYMPTOMATA.

1. Atheroma tumor est indolens, cuti concolor, quia a lympha spissa paulatim collecta efficitur; quapropter sanguinis circuitus in vasis sanguiferis cutis tumorem tegentis nullo modo intercipitur; ergo remanet color cutis naturalis.

2. Digitis non facile cedit, quia lympha spissa nec facile comprimi potest, seu ad minorem molem redigi, nec e folliculo effluere, id satis evincit ejus consistentia, quæ pulti similis est.

3. Cessante pressione, non cito iterum extuberat; quia uti materia pressione non facile densatur, seu ad minorem molem redigitur, ita a pressione libera, nec cito, nec facile expanditur; id adhuc arguit folliculum mollem parum elasticum esse, quod profecto demonstrat consistentia humoris pulti similis, neque eam consistentiam lympha adipisci potest, quin partes ejus gelatinosæ concretæ ergo & serosæ extricatæ fuerint. Concretiones fieri in atheromate evincitur ex corpusculis duris & lapideis, quæ in atheromate sæpius inveniuntur.

1. Steatoma tumor est cuti concolor, eadem ratione ac atheroma, in principio exiguus, augmentum sensim sumens, quia lympham in folliculo continet, quæ idcirco lente admodum colligitur; ergo tumor in principio exiguus sensim augmentum sumit.

2. Is tumor digitis comprimentibus non facile cedit, quo enim canales humore viscidiori replentur, eo pressui magis resistunt; sic vasa adiposa concreta pinguedine repleta rigescunt & dura evadunt.

3. Remotis digitis, tumor ad priorem magnitudinem facile redit, quia folliculus materia sebo

fimili repletus, tonum & elaterem ſervat, quo fit ut ceſſante preſſione ad priorem magnitudinem facile redeat.

1. Meliceris tumor eſt indolens, cuti concolor, rotundus, quia materia in folliculo contenta ea fluidior eſt, quæ atheroma & ſteatoma parit; ergo æquabilius diffuſa, vi quoque æquabili in folliculum impetit & cum ubique æquabiliter extendit, ergo folliculus figuram rotundam obtinet.

2. Materia meliceridis fluidior eſt, quam atheromatis, & ſteatomatis; ergo preſſioni facilius cedit.

3. Ceſſante preſſione ad priſtinam molem tumor celeriter redit, quia materia fluidior preſſione coacta promptius, validiuſque, ea ablata reſiſtit; ergo folliculum ad priſtinam molem celeriter reſtituit.

Ex his liquet cur raro & fere nunquam hi tumores inflammentur, niſi cauſa quædam externa accedat, quæ inflammationem afferre poſſit; cur etiam febris horum comes raro ſit, adeoque cur, ſalva œconomiæ animalis integritate, diu perſeverent: ſi quæ iis accedant ſymptomata, fiunt aut ratione ſitus tumoris, ut dum articulos occupat, vel propter morborum complicationem.

DIAGNOSIS.

Tres hi tumores ſuis ſignis eſſentialibus noſcuntur; quilibet habet ſignum peculiare quo ab aliis diſtingui poſſit. Atheroma preſſioni non facile cedit, ſemel preſſum non facile reſtituitur. Steatoma in principio tumor eſt exiguus, ſenſim creſcens, non facile cedens preſſioni, facile vero ſe reſtituens. Meliceris tumor eſt rotundus, aliis magis extenſus, preſſioni cedens, ea ceſſante, celeriter ad priſtinam molem rediens.

Aperti vero hi tumores facile ab invicem diſtinguuntur colore & conſiſtentia materiæ contentæ.

tæ. Hi tumores quandoque ſtrumoſi ſunt, aliquando non ſtrumoſi; noſcuntur dum plures ſimul in diverſis locis erumpunt, dum infantibus accidunt a parentibus ſtrumoſis natis; aut ſi adultos adoriantur, qui glandulas ſtrumoſas in collo infantes habuerint: complicari vero cum lue venerea ex ſignis hujus luis propriis noſcitur.

PROGNOSIS.

Horum tumorum prognoſis nunquam periculoſa, niſi plures ſimul erumpant, aut ſuppurati in ulcus fiſtuloſum, aut malignum mutentur.

Plures ſimul erumpentes peſſimam maſſæ ſanguinis craſim ſignificant; unde partium externarum obſtructio, ſuppuratio, aut hydrops accidit; dum in ſuppuratum abeunt, pus intus morans ſinus efficit, parteſque vicinas lædit, ut tendines, perioſteum, & oſſa; aut propter peſſimam puris indolem, malignum ulcus efficitur. Cæterum hi tres tumores nunquam radicitus curari poſſunt, niſi folliculo avulſo: ergo operatione, vel ſuppuratione folliculum ſeparante ſanantur.

CURATIO.

Indicatio curatoria atheromati, ſteatomati, & meliceridi communis eſt, ut materia quam folliculus continet, diſcutiatur, aut medicamentis totum cum ſua tunica exedatur, vel ſuppuretur, aut ſectione auferatur. Triplici hac ratione curatur meliceris, utpote humorem continens liquidiorem; quapropter præſcripta diæta convenienti, præmiſſis remediis internis, lymphæ viſciditatem & acrimoniam, ſi quæ ſit, corrigentibus, ut ſupra expoſitum fuit, dum de ſtrumis, topica reſolventia tumori apponenda ſunt, ut emplaſtrum de cicuta,

de Vigo, de ſapone, aut diabotanum, addito iis hydrargyro, utpote quod ſit reſolvens potentiſſimum, aut ſequens ceratum.

℞. *Sal. gemm. lithargyr. ana unc. iv. ceræ novæ, terebinthin. ana unc. ij. galban. & gumm. ammon. ana unc. i. & ſem. pulver. ſemin. ſinap. unc. ij. euphorb. unc. j. ol. veter. lib. j. acet. acerrim. q. ſ. miſc. f. ſ. a. ceratum.*

Si his tumor non reſolvatur, aut ſuppuratio promovenda, aut inciſio adhibenda.

Atheroma reſolutione nunquam ſanatur, quia materia atheromatis ſpiſſior eſt, quam poſſit reſolvi; ergo ſuppuratione ſanandum, aut cauſticis exedendum; ut autem ſuppuratio promoveatur, unus aut alter lapis cauſticus tumori imponendus. Si eſchara exciſa folliculus ſit integer, iterum lapis apponendus, donec folliculo eroſo, materia concluſa exeat; dein ulcus unguentis replendum, ut ſuppurativo, vel digeſtivo, deſuper imponendo cataplaſma maturans, ut ſuppuratio promoveatur. Si pus folliculum ſeparare nequeat, eum cauſticis rodere oportet, ulcus apertum ſervando, donec folliculus totus eductus, aut cauſticis & ſuppuratione conſumptus fuerit; ejuſdem portio etiam minor relicta novum tumorem generare poteſt.

Steatoma nec reſolvitur, nec facile ſuppurat, quia materia in folliculo contenta ſpiſſa nimis eſt, cauſticis tamen erodi poteſt, ſed hæc ſanandi ratio non leve affert periculum; ſæpe enim fit ut materia ſteatomatis cauſticis acrioribus exaltata, & aſpera facta, ſteatoma in carcinoma abeat, aut ulcus fiat cancroſum: ex eo fit ut ſaniores hodierni Practici cauſtica rejiciant, & ſectionem adhibeant, quæ ſane ratio omnium tutiſſima eſt. Sectio

ctio hac methodo inſtituenda eſt: patiente convenienter collocato, cutis incidenda eſt ſimpliciter, vel cruciatim, ſi tumor molem inſignem habeat, eaque poſtea circumquaque aut ſcalpelli manubrio, aut digito indice ſeparanda, donec integer folliculus appareat, qui tum circa pedunculum reſecandus eſt, ſimul cum vaſis tumori humores ſpiſſos præbentibus, ne, minima relicta folliculi portione, tumor regeneretur. Notat *Joannes Vanborne* prius arcte vaſculum tumorem nutriens eſſe ligandum, antequam reſecetur. Hoc peracto, & extracto folliculo, vulneris labia ſunt conjungenda, & unguenta convenientia apponenda, donec cicatrix facta fuerit.

Nota 1. hanc ſectionem non facilem, & aliquando ſummo periculo plenam eſſe, ut dum tumor palpebras, oculum adoritur, aut collocatur prope magnam arteriam, aut venam, vel adhæreſcit aſperæ arteriæ, vel œſophago, tunc folliculus prudenter & dextre eſt ſecandus, ne partes vicinæ lædantur. Aſſerit *Petrus de Marchettis* ſe melicederem majoris oculi anguli ad corneam uſque protenſam, illæſo oculo, cum folliculo extirpaſſe.

Nota 2. hos tumores ad tantam aliquando pervenire magnitudinem, ut ſectio ſummum afferat periculum; tunc vaſa ad tumorem afferentia, imo & cætera vicinia ab humoribus ſunt adeo dilatata, ut ſectionem tumoris hæmorrhagia gravis ſequatur, aſtringentibus, neque ligatura, quæ tunc raro adhiberi poteſt, neque igne cohibenda, quo fit ut Chirurgi exercitatiſſimi horum tumorum ſectionem aggredi non audeant.

Rara eſt obſervatio a *Petro de Marchettis* relata, qui meliceridem ſecuit, in cujus diſſecto folliculo, alius ejuſdem generis tumor, ſed minor delituit, ſua & ipſe membranula concluſus.

Demum hi tumores incipientes, dum exigui adhuc ſunt, & propenduli filo arcte ligantur, qualibet die magis conſtricto, ac paulatim decidunt, deciſo tumore, ſi quid de radice relictum ſit, abſumatur admotis cathæreticis.

CAPUT XI.

De Lupia.

LUpia tumor eſt mollis, indolens, rotundus, cuti concolor, a lympha ſpiſſa in folliculo contenta oriundus: is tumor a meliceride parum differt; omnes indiſcriminatim partes externas afficit, ſæpe circa articulos majores, ut genu, cubitum emergit.

DIFFERENTIÆ.

Lupiarum ſpecies variæ occurrunt, ſunt nimirum maximæ, mediocres, parvæ, nonnullæ baſi lata ſunt, quædam anguſta, aliæ mediocri: omnes tamen humorem habent in membrana concluſum.

CAUSÆ.

Folliculus materiam lupiæ continens, eodem modo generatur, ac atheromatis, ut ſupra expoſitum eſt: in eo tamen differt ab atheromate, quod lupia in molem quaſi immenſam aliquando creſcat, cum lupiæ libras plures ponderantes repertæ fuerint; tunc non ab unica glandula lupia fit, ſed a pluribus ſimul congeſtis: id pedunculi lupiæ adhærentes evincunt, qui ejuſdem radices dicuntur, quique nihil aliud ſunt quam ductus lym-

lymphatici humorem ad affectas glandulas devehentes, prætermodum dilatati, & in partibus vicinis implantati.

DIAGNOSIS.

Ex ſignis jam allatis lupia facile noſcitur, ejuſdem differentiæ ex ſola expoſitione patent.

PROGNOSIS.

Lupia uti functiones plerumque non lædit, ita nullum affert periculum, niſi aut mole maxima ſit, vel in ſuppuratum abeat; tum præcipue circa articulos emergit, quia pus, tendines, ligamenta, cartilagines, oſſa ipſa afficit. Rurſus ſi tumor in carcinoma mutetur, maximum imminet periculum. Lupiam ſuppurare noſcitur: ſi calere & dolere incipiat, & quo magis illa intenduntur, eo propior eſt ſuppuratio, aut jam facta; ſi dolor lancinans, urens ſit, & aſſiduus, jam carcinoma eſt; cum lupia per ſe indolens ſit, adeoque eadem remanens per longam annorum ſeriem ſine periculo perſeverare poteſt.

CURATIO.

Lupia incipiens parva ſæpe reſolvitur, comprimendo digitis ſaliva madefactis identidem fricando: proſunt etiam quandoque emplaſtra reſolventia, quæ ſuperius recenſita fuere. Sequens cataplaſma prodeſſe experientia aliquoties docuit.

℞. *Fol. aceroſ. charta madida involuta, & ſub cineribus coct. horum pulpam cum cineribus per cribrum trajectam miſce in formam cataplaſmat. calide applicandi.*

Si lupia major fuerit, nec ullum ſuppurationis aut cancri periculum immineat, nihil moliri oportet, præſertim ſi æger aut ſenex, aut natura debilis ſit; aſt ſi æger in ætate juvenili & probe conſtitutus ſit, lupiaque circa articulos collocata motum illorum lædat, vel prope oculos viſioni obſtet, videndum an baſi angusta ſit, tunc præmiſſis venæ ſectione etiam iterata, & purgatione, nec non diæta convenienti præſcripta, baſis tumoris filo arcte liganda, quod ſingulis diebus conſtringetur, donec vaſis compreſſione obliteratis, tumor non amplius nutriatur & decidat. Poſtea unguenta apponenda ſunt, ut pus moveatur, quo partes duræ, calloſæ ſuperſtites deſtruantur, quæ, ſi puri reſiſtant, cauſticis prudenter conſumendæ ſunt, ac tandem cicatrix inducenda. Lupiam ſuppuratione ſanari non ſemel obſervatum eſt; etenim facta lupiæ violenta caſu fortuito contuſione, mota fuit ſuppuratio, quæ lupiam ſanavit.

Si vero baſis lupiæ latior ſit, quam ut poſſit ligari, ſectione tuto auferri poteſt; non eſt prudentis Medici cauſtica lupiæ apponere; nam præterquam quod longior eſt hæc curandi methodus, nec ſæpe folliculus integer abſumitur, adeſt ſemper periculum, ne materia cauſticorum vi, indolem malam acquirat, & lupia in cancrum convertatur.

Dum lupia maximæ molis, nec reſolvi, nec cauſticis abſumi poteſt, ſectio quoque eſt dubii eventus, idcirco prudentis Medici eſt intactam relinquere hanc lupiam, ne ſectione facta, æger illico aut brevi pereat, & remedium diffametur, quod pluribus ſalus fuit; vaſa enim omnia, etiam ſanguifera, tam ad folliculum pertingentia, quam ad partes vicinas, adeo ſunt ampliata, ut ſectio hæmorrhagiam lethalem pariat, nulla arte cohibendam, quia vaſa ſecta intus retracta ligaturam non pa-

admittunt, & maxime ampliata aſtringentibus, compreſſione, aut igne conſtringi minime poſſunt; tunc ergo melius eſt lupiam intactam relinquere, quam remedium adeo periculoſum adhibere: hoc tantum agendum eſt, ut faſciæ ope lupia ſuſpendatur, ad ponderis moleſtiam, & ea, quæ ex eo ſequi poſſunt, mala præcavenda.

CAPUT XII.

De Ganglio.

GLanglion eſt tumor cuti concolor, durus, renitens, doloris expers, ſed vehementer preſſus obtuſum quemdam doloris ſenſum exhibens, partes tendinoſas articulorum ſæpius afficiens.

DIFFERENTIÆ.

Hic tumor nucis minoris magnitudinem æquat, aliquando ovi gallinæ, mobilis ad latera, non antrorſum, nec retrorſum.

CAUSÆ.

Hic tumor a lympha infarciente fibras tendinum, & in tumorem attollente efficitur; raro tamen oritur a lympha viſcida, ſua ſpiſſitudine in fibris tendineis hærente, ſed potius a debilitato tono earumdem fibrarum, cauſa quadam externa, ut ictu, contuſione, violenta tendinis extenſione, aut diſtorſione, quibus fibrarum tendinearum elater frangitur, fracto horum elatere lympha appellens hærere cogitur, fibraſque debiles dilatat, & in tumorem attollit.

SYMPTOMATA.

1. Is tumor ſine dolore fit, quamvis in parte admodum ſenſibili generetur, quia lympha ſenſim collecta fibras tendinis ſenſim in tumorem attollit, & membrana tendinem inveſtiens ſenſim extenditur & dilatatur.

2. Preſſus tamen exhibet aliquem doloris ſenſum, quia fibræ tendineæ, tendiniſque vagina ſubito & vehementer preſſione diſtrahuntur, aut perioſteum ſubjacens, preſſo ganglio, premitur; ergo preſſio dolorem inferre debet.

3. Ganglion tendinis affecti officium impedit, quia dum muſculus contrahitur, fibræ tendinis affecti valide diſtractæ, aut dolent, aut muſculi actionem difficilem reddunt, præſertim ſi ganglion notabilis magnitudinis ſit.

DIAGNOSIS.

Ganglion facile noſcitur; ab atheromate, ſteatomate, & tumoribus ſtrumoſis duritie, ſitu & cauſa diſtinguitur.

PROGNOSIS.

Nullum periculum affert, niſi maximum fuerit; tunc officium tendinis affecti ſenſibiliter lædit.

CURATIO.

Ganglion incipiens & exiguum reſolventibus ſæpe ſanatur, uti emplaſtro de mucilagine, & de Vigo, cum mercurio ad æquales partes admixtis, vel emplaſtro de cicuta, aliiſque ſimilibus ganglio apponendis. Verum his hydrargyrus anteponendus, cujus partes tenues admodum mobiles ad ganglion

glion uſque perveniunt, ſuo vero pondere & mobilitate lympham viſcidam dividunt, ad progrediendum urgent, tonumque fibrarum debilitatum reſtituunt. Sequens hydrargyrum applicandi modus cæteris præſtat. Accipitur lamina plumbea excavata, ut melius ganglio aptetur, ejus ſuperficies excavata hydrargyro illinitur; lamina dein appoſita in ſitu retinetur filis laminæ angulis annexis, & circa manum ligatis, ut lamina ganglion comprimat; per plures dies & menſes aliquando gerenda eſt lamina, eam ſingulis diebus filis arctando, ut comprimat, & bis in hebdomada hydrargyro illinienda.

Obſervatio apud *Mangetum* legitur de Pharmacopola Nemauſenſi ganglion in carpo a pluribus annis gerente, qui plurima remedia, hydrargyrum ipſum pluries fruſtra adhibuerat; tandem morſu viperæ in pollice ſiniſtræ manus affectus, cardiaca potentiſſima, imprimis ſal volatile viperarum copia magna ſumpſit, imo viperam unam aut alteram ſuper craticula toſtam voravit, inciſo ſæpius vulnerato pollice, a terribili periculo perfunctus eſt, ganglio penitus evaneſcente.

Aſt ſi hæc proficua non fuerint, nonnulli Auctores ſuadent ganglion ſectione auferre, quæ ſane operatio abſque periculo abſolvi nequit, ob indolem partis affectæ, cum experientia doceat punctura tendinis adeo horrenda ſymptomata ſuccedere. Rurſus ulcera tendinum curatu difficillima ſunt, ſæpeque Chirurgi, etiam peritiſſimi, ſolertiam eludunt; ergo ſectio graviora mala inferre poteſt, adeoque non temere adhibenda, ex quo ſequitur cauſtica eſſe rejicienda. Tunc ganglion ſibi relinquendum, quia ægri vitam ganglion non contrahit.

CA-

CAPUT XIII.

De Aneurisſmate

ANeuriſma tumor eſt pulſans, digitis facile cedens, ac iterum illico ſeſe reſtituens, ſeu extendens, a præternaturali arteriæ dilatatione, vel ejuſdem ruptione oriundus.

DIFFERENTIÆ.

Aneuriſma duplex eſt, verum & ſpurium; verum dicitur dum a præternaturali arteriæ dilatatione fit: ſpurium, quando rupta arteria ſanguis in interſtitia vicina effunditur. Rurſus magnum eſt, vel parvum; recens, vel inveteratum: demum in omnibus arteriis, tam internis quam externis, majoribus ac minoribus fit.

CAUSÆ.

Aneuriſma verum a ſanguine tunicas arteriæ præ-termodum dilatante fieri evidens eſt: duo autem requiruntur ut hæc dilatatio fiat. 1. Ut tunicæ arteriæ ſanguini impetenti minus reſiſtant. 2. Ut ſanguis majori nixu quam in ſtatu naturali in has tunicas reſiliat: utraque cauſa aneuriſma parit.

1. Debilitatur tunicarum reſiſtentia, ſi harum una rumpatur, cæteræ etiam integræ ſanguinis impetui reſiſtere non valent. Rumpitur exterior tunica a cultro, aut quovis alio corpore acuminato ad arteriam pertingente, eamque in ſuperficie ſecante: ſic in phlebotomia, & inciſionibus variis arteriæ nonnunquam leviter ſauciantur; ita dum ſuppuratio prope arterias fit, accidit quandoque ut tunica ex-

exterior a pure rodatur; concipitur quoque a fero arteriæ tunicas penetrante & emolliente aneurisma fieri posse, quia pars laxata nisui sanguinis minus resistens facile dilatatur: verum aneurisma a tali causa raro producitur.

2. Manente naturali arteriæ resistentia, fiet tamen præternaturalis illius dilatatio, si vis qua sanguis impetit in arteriam augeatur; vis vero illa augetur, vel quia sanguis impellitur validius in arteriam, aut quia in arteriam immissus, eadem proportione non potest ex ea expelli, propter obices in tractu arteriæ factos. Sanguis validius in arteriam pellitur, si musculis inæqualiter contractis, arteriæ quædam comprimantur, aliæ vero liberæ sint, ut quandoque accidit in motibus convulsivis, in conatibus validis, qui plurium musculorum valida & constanti contractione fiunt; sanguis etenim in arterias liberas valide & magna copia pulsus, vi magna in tunicas arteriarum impingit: quoniam vero arteriæ non recto, sed flexuoso tramite per partes incedunt; inde sanguis in arteriarum inflexionibus & angulis difficilius progreditur, & ibi vires majores in tunicas arteriarum exerit; ergo ibi arteriæ magis dilatandæ; idcirco conatus maximi, saltus, nimii ponderis gestatio, motus convulsivi sæpe & vehementer recurrentes, aneurisma arteriarum, potissimum internarum producunt. Rursus arteria in suo tractu ligata, vel compressa, sicque ejus cavitate imminuta, sanguis in eam immissus, pari proportione ex ea propter obices exire nequit; adeoque in ea cumulabitur. Verum nisus sanguinis in tunicas arteriarum est in ratione composita ejusdem quantitatis, & motus: crescit vero ejus quantitas, qua proportione cavitas arteriæ minuitur; motus autem ad latera, ea proportione augetur, qua progressivus impeditur, cum motus sanguinis juxta axim arteriæ impeditus

ad

ad latera reflectatur; ergo ſanguis tum copia majori, cum validiori impetu in tunicas arteriarum agens, eas præter modum dilatabit, ſi ligatura, compreſſione, imo obſtructione, motus ſanguinis progreſſivus impediatur; quamvis vero ſanguis in tota arteria colligatur, in una tantum dilatatur, parte, vel quia arteria in parte una debilior erat quam in cæteris, aut quia prope obicem major fit ſanguinis in tunicas arteriæ impetus; inde liquet cur aneuriſma majus aut minus ſit, cur ſæpius minores arterias quam majores afficiat; demum cur aliquando majores trunci, uti aorta, aneuriſmate corripiantur.

Aneuriſma ſpurium fit ab iis quæ arterias aperire, & ſanguinis arterioſi effuſionem parere poſſunt, uti vulnera arteriis inflicta, validus nimis ſanguinis in arterias impetus: aneuriſma verum, quod tunicas arteriæ nimis dilatando ad rupturam diſponit.

SYMPTOMATA.

1. Tumet arteria aneuriſmate correpta, quia ſanguis partem tubi arterioſi affectam extrorſum pellit, dilatat, ſaccum veluti ex ea efformat, in quo cumulatur.

2. Pulſus in tumore percipitur, quia ſanguis in arteriam immiſſus, aneuriſma ingreditur, & dilatat; quia vero arteria dilatata contrahitur, conſtringitur quoque portio in aneuriſma dilatata, & quantum poteſt ſanguinem acceptum exprimit, iterum a ſanguine appellente dilatanda; ideo pulſus in aneuriſmate percipitur, ſi magna arteria afficiatur, ut cruralis; tantus eſt pulſus, ut pondus magnum impoſitum, pulſante aneuriſmate, ſenſibiliter elevari percipiatur.

3 Aneuriſma digitis facile cedit, quia ſanguis

in

in tumore contentus, preſſione in tubum arterioſum facile expellitur, ac ceſſante preſſione facile redit. Hæc quidem in aneuriſmate recenti & parvo fiunt, ita ut preſſione veluti penitus evaneſcat. Aneuriſma vero magnum & inveteratum vix preſſione minuitur, quia ſanguis magna copia collectus, & diu remorans in grumos abit, vel tegumenta aneuriſma obtegentia, preſſione, ac iteratis tumoris ictibus denſata & indurata, tumoris preſſionem non facile ſinunt.

4. Plura aneuriſmati ſymptomata adjunguntur, quæ a magnitudine & ſitu tumoris producuntur. Sic aneuriſma arteriarum pulmonarium, tuſſim, oppreſſionem & ſputum cruentum quandoque parit; carotidicarum in cerebro, epilepſiam, vel quemdam affectum ſoporoſum; brachii, motum illius partis lædit.

Aneuriſma ſpurium graviora habet adjuncta ſymptomata, quia fit a ſanguine extra tubum arteriæ effuſum; convenit tamen cum vero, quia tumor eſt pulſans a ſanguine productus.

1. Etenim pulſus percipitur in aneuriſmate ſpurio, quod alii negant, tametſi experientia evidens ſit, quia dum ſanguis in arteriam ruptam vi cordis immittitur, motu laterali in omnia puncta ejus ſuperficiei concavæ niſus edit, adeoque in partem arteriæ ruptam; ergo premit ſanguinem ibi effuſum, qui in partes vicinas eadem vi impetens, eas pellit extrorſum; ergo membranæ, muſculi, tegumenta, effuſum ſanguinem continentia extrorſum pelluntur, dum arteria dilatatur; pulſat ergo aneuriſma ſpurium.

2. Effuſus ſanguis non comprimitur, nec in grumos abit, ſi aneuriſma ſpurium exiguum ſit; ſecus vero, ſi magnum: dum aneuriſma ſpurium minus eſt, ſanguis, utpote vicinus rupturæ arteriæ, cum ſanguine arterioſo convaſato communi-

cat;

cat; propterea ab ipso continuo movetur, & agitatur; imo portio sanguinis effusi tubum arteriæ iterum per rupturam ingredi potest, accedente pressione externa validiori; ergo præcavetur hujus sanguinis concretio, atque putredo; si aneurisma spurium maximum sit, major sanguinis effusi pars longe a ruptura arteriæ continetur, ubi in interstitia partium effunditur; ergo is cum sanguine arterioso vix communicat, adeoque mora, quiete, calore partium vicinarum coit, putrescit, seu corrumpitur, quod ab aliquot annis in cadavere hominis observavi, aneurisma spurium in dorso inter scapulas gerentis, a rupto aortæ descendentis trunco productum, maximam cruoris copiam continens, qui fluidus erat prope foramen aortæ, in grumos coactus in majori distantia, tandem putrescens in parte ab illo foramine magis remota.

3. Quia aneurisma spurium a sanguine effuso fit, sanguis vero longe a rupta arteria effundi potest, inde fit ut aneurismati spurio inflammatio cum febre acuta, putredo, gangræna adjungantur; hoc autem annotare oportet, aneurisma spurium maximum plerumque tumorem constituere; si in brachio fiat, totum tumet brachium; si in crure, totum fere crus; adeoque pulsatio in toto tumore non percipitur, sed in hac tantum parte, quæ ruptioni arteriæ proximior est, & ubi sanguis effusus cum altero tubum arteriæ permeante communicat; ex quo sequitur anueriſma spurium non ab arteria penitus secta, sed tantum perforata fieri, quia arteria penitus secta, in sese retracta sanguini appellenti obsistit. Demum, si arteria rupta minima sit, pulsus vix percipi potest; ergo ut aneurisma spurium fiat, arteria sat magna rumpenda est.

DIAGNOSIS.

Aneuriſma ex eo noſcitur, quod ſit tumor cuti concolor, mollis, preſſioni cedens, facile ſe reſtituens, pulſans; ultimum ſymptoma ipſi proprium eſt, & illud a quovis tumore diſtinguit. An verum, an ſpurium ſit, noſci poteſt, 1. A cauſa quæ aneuriſma produxit. 2. Verum minus eſt, & in toto tumoris ambitu pulſus ſentitur: ſpurium ſemper majus eſt, & in una tantum parte pulſat: internum aneuriſma nullo certo ſigno dignoſci poteſt; an recens vel inveteratum ſit, ex relatu ægri, & tumoris magnitudine noſcitur.

PROGNOSIS.

Aneuriſma verum recens & paruum, ſola preſſione quandoque ſanatur, ita demonſtrante experientia; magnum & antiquum ſola operatione chirurgica debellatur: hæc vero ſine periculo non fit, & quandoque impoſſibilis eſt, ut dum aneuriſma in trunco aliquo arterioſo ſit, ut prope inguina, aut axillas: ſæpe tutius eſt partem amputare, quam aneuriſmatis operationem adhibere.

Aneuriſma ſpurium majori periculo plenum concipitur, ex eo quod ſanguis extra arteriam effuſus ingentem tumorem cum inflammatione gravi, febre, ſuppuratione, gangræna, aliiſque ſæviſſimis ſymptomatibus producat, quibus ut ſuccurrat Medicus, inciſiones plures faciendæ, imo & pars cum maximo ægri vitæ periculo amputanda eſt.

CURATIO.

Aneuriſma verum, recens, exiguum, ſola preſſione utplurimum evaneſcit, hæc vero prudenter facienda ne aneuriſma inflammetur, aut tumori im-

po-

ponere ſplenia tria vel quatuor, ex linteo vetuſto conflata, eaque in modum pyramidis diſponere, dein ligare faſcia ex ſimili linteo facta, totumque arcte conſtringere; dein qualibet die arctius ligare; ut preſſio continua & ſufficiens ſit, altera paratur faſcia ex lamina chalybis elaſtica, cujus pars latior tumori apponitur, & filis circa membrum ligatis applicata detinetur; hæc ultima faſcia, quæ Gallico idiomate vocatur *le Ponton* priori anteponenda eſt. Interim diæta tenuis per aliquod tempus imperanda; vaſa venæ ſectione, quantum licebit, deplenda, quies corporis & animi ſervanda.

Aſt ſi aneuriſma antiquum & magnum fuerit, vel in parte quadam ſitum ubi faſciam adhibere non liceat, tunc curatio aneuriſmatis facienda, aut membrum amputandum, ut mala ventura præcaveantur.

Dum Chirurgus phlebotomiam celebrando arteriam pro vena ſecuit, tunc ſanguis largiſſima copia ad animi deliquium detrahendus, poſtea denarium, vel faba per dimidium ſecta, linteo involuta vulneri apponenda, & duabus faſciis brachium arcte ligandum, famuluſque faſciam per diem unum aut alterum manu comprimat, diæta tenui rigoroſe ſervata; his addenda venæ ſectio in pede, in altero brachio pluries celebrata, adeo ut ea ſolum ſanguinis copia in vaſis ſit relinquenda, quæ motum vitalem ſervare poterit.

Si his irritis brachium tumeat, doleat, inflammetur, tunc cito ligatura arteriæ ſectæ injicienda eſt; cutis pariter debite incidenda, ut ſanguis effuſus extrahi poſſit; demum operatio qualis a Chirurgicis Scriptoribus deſcribitur, adhibenda; ſi ea ſine maximo vitæ periculo adhiberi non poſſit, tutius eſt brachium amputare.

CA-

CAPUT XIV.

De Varicibus.

VArices ſunt tumores molles, nigricantes, a præternaturali venarum dilatatione oriundi. In nodos utplurimum efformantur, majores aut minores; unus aut plures in eadem parte, imo & quandoque vena obſervantur. Venæ omnes internæ varicoſæ evadunt; quædam tamen ratione ſitus & debilitatis varicibus præ cæteris afficiuntur, ut venæ pedum, tibiarum, podicis, imo ventris mulierum ſæpe prægnantium; demum varices quandoque cancroſi fiunt.

Tunicæ venarum prætermodum dilatantur, ſi earum minuatur reſiſtentia, vel impetus ſanguinis contenti in eas augeatur. Minuitur reſiſtentia, tunicarum, ſi harum exterior inciſione, vulnere, punctura ſecetur, vel pure rodatur; cæteræ ſanguinis impetum ſuſtinere non valentes, prætermodum dilatantur: addunt aliqui, dehiſcere interiorem venarum tunicam, ſi ſanguis nimium in vena expanſus, ejus tunicas extrorſum valido cum impetu propellat. Crederem potius tunicas venarum tunc adeo debilitari, ut impetui ſanguinis ſuſtinendo impares fiant; unde integra venæ ruptio, vel præternaturalis ejuſdem dilatatio continget: demum tunicæ venarum minus reſiſtent, ſi eæ ſero imbutæ laxentur, quod aliquando contingere poteſt. Augetur impetus ſanguinis in tunicas venarum, dum motu ipſius progreſſivo per venas impedito plus ſanguinis per arteriolas fluit ad venas, quam per venas ad cor reducatur; ex quo fit ut ſanguis in venis colligatur, eaſque prætermodum dilatet. Sanguis vero colligitur in inflexio-

nibus, & angulis venarum ubi motus ſanguinis difficilior eſt; ſiſtitur adhuc in venis per quas ſanguis ex extremitatibus ad cor contra proprium pondus aſcendit, cum in iis major requiratur vis, ut ſanguis progrediatur. Inde liquet cur venæ hæmorrhoidales adeo frequenter varicibus afficiantur, & in venis tibiarum & crurum tam ſæpe varices obſerventur: quidquid ergo poterit ſanguinem in venis cumulare comprimendo venas, earum tunicas leviter incidendo, aut laxando, aut ſanguinem cogendo & inſpiſſando, ejus motum in venis retardare, aut ipſum majori copia & impetu ad venas impellere, varices producere poterit; ſic animi pathemata varia, conatus maximi, ſaltus, curſus, ponderum geſtatio, cibi acidi, crudi, item cruditates acidæ, febres intermittentes, frequentes, & laborioſi partus varices ſæpiſſime pariunt: inde patet cur mulieres, quæ ſæpe utero geſtarunt, varices in venis tibiarum frequenter patiantur: item cur melancholici & hypochondriaci iis adeo obnoxii ſint, propter ſanguinis conſtitutionem craſſam, ſpiſſam, & ſiccam.

Majores aut minores varices fiunt juxta venæ affectæ cavitatem, & ſanguinis collecti copiam: obſervatione plurima conſtat ingentes & veluti monſtroſos varices aliquando fuiſſe plures ſanguinis libras continentes; ob malam ſanguinis indolem cancroſi nonnunquam evadunt: cæterum gravia ſymptomata non pariunt, niſi aut maximi ſint, aut in partibus internis ſedem habeant, vel prope canalem quemdam erumpant, quem comprimendo afficiant; ſic varices venarum hæmorrhoidalium non ſolum alvi dejectionem difficilem & moleſtam efficiunt, verum etiam urethram vicinam comprimendo dyſuriam quandoque pariunt.

DIAGNOSIS.

Varices ex allata definitione noſcuntur; ſi externi ſint, dum in venis internis fiunt, nullo ſigno dignoſci poſſunt; ergo viſu aut tactu noſcuntur: ſi varici dolor accedat, qui antea non erat, ſimulque durior percipiatur, cancri futuri adeſt ſuſpicio; ſi vero varix doleat, ſimulque caleat multum & rubeat, ſignum eſt inflammari varicem; ergo hujus ruptio, vel hæmorrhagia, vel ſuppuratio eſt exſpectanda.

PROGNOSIS.

Varix externus nullum affert periculum, niſi maximus fuerit, aut indolem cancroſam induat; dum major eſt, ruptio ejuſdem & gravis hæmorrhagia pertimeſcenda: certe moleſtus ſemper eſt; ſi plures varices ſimul in eadem parte fiant, major fit moleſtia, pondus partis augetur, inde difficilis ejus motus, maxime præpedito ſanguinis reditu, pars ipſa tumet, quæ, rupto uno aut altero varice, factaque hæmorrhagia detumeſcit. Varices vero venas internas afficientes, maximum ægris afferunt periculum, præſertim ſi venas pulmonum aut cerebri afficiant, & graviſſimi cerebri affectus, imo repentina quandoque mors ex iis oriuntur: rupto enim varice, ſanguis in cerebro effunditur, ægrum ſubito jugulans. Rurſus varix in vena interna latens nullo ſigno dignoſci poteſt, adeoque mala ex eo ventura Medicus prævidere non poteſt.

CURATIO.

Pauca ſubjungemus de curatione varicum: ſi varix parvus ſit & recens, ſola compreſſione utplu-

rimum ſanatur; ſi major, ligatura leviter comprimendus, ne creſcat; ſi plures in eadem parte ſint atro-rubentes, ſummis diſtenti cum magna partis intumeſcentia, ne gangræna accedat, imperata diæta tenui, & quiete, ſanguine pluries miſſo ad vaſa deplenda, unus aut alter varix cultro aperiendus, ut hæmorrhagia pars affecta ſubleveturUt primum pars affecta hæmorrhagia ſat levata fuit, appoſito filo carpto, manu comprimere oportet varicem, donec coeat, ſervata ſemper diæta & quiete.

Si varix major fuerit, eum aperire periculoſum eſt; tanta fuit ſæpe hæmorrhagia, ut cohiberi non potuerit; ſolam ergo compreſſionem adhibere convenit, ad hujus augmentum præcavendum, detracto identidem ſanguine, & diæta convenienti ſervata.

Si varix tantus non fuerit, moleſtus tamen ratione ſitus, non urendus, ſed operatione manuali ſic exſcindendus eſt: cutis ſectione lata aperitur, dein vena varicoſa a partibus circumjacentibus ſeparanda eſt, ac ſupra & infra filo duplicato varix firmiſſime ligandus, dein aperiendus, ut ſanguis effluat; poſtea vulnus unguentis convenientibus impletur, ut mota ſuppuratione, cicatrix inducatur.

Venæ varicoſæ ſectæ, deletæ, vicem ſupplent alii venarum ramuli, poſt operationem magis dilatandi, ſanguine majori copia ad eos appellente; raro tamen hæc operatio adhibetur; plerumque varices nimis tumentes levi inciſione, qualis in ſanguinis miſſione fieri ſolet, deplentur, vulnuſque ſola compreſſione ſanatur.

CA-

CAPUT XV.

De Scabie.

SCabies eſt puſtularum phlegmonodearum in cute ſparſim eruptio cum pruritu inſigni.

DIFFERENTIÆ.

Duplex eſt, ſicca ſeu fera & *pſora* ab Arabibus dicta, in qua puſtulæ exiliſſimæ, & ingenti numero erumpunt, nulluſque fere ichor ejicitur; humida vero, dum puſtulæ majores ſunt, & pu ru lenta materia exit: ſcabies ſicca inſignem pruritum procreat, & ſquamæ cuticulæ ſub forma furfuris copioſe excidunt; humida vero minorem pruritum excitat, ſed puſtulæ cruſta obducuntur, & pus flavum, acre, ſpiſſum magna copia ejiciunt; inde ſcabies humida quandoque in ulcus fetidum convertitur, cutim, parteſque ſubjectas depaſcens, rurſus alia eſt recens, alia inveterata.

CAUSÆ.

In utraque ſpecie puſtulæ rubræ erumpunt cum pruritu magno, & moleſto; ergo hæ puſtulæ ſunt vere phlegmonodeæ, adeoque cauſa ſcabiei eſt ſubitanea ſanguinis hærentia in finibus arteriolarum cutanearum a tranſpiratione inſenſibili, ſpiſſiori & acriori facta: inſenſibilis tranſpiratio hanc hærentiam efficit, vel quia ob molem & craſſitiem ex arteriolis exire nequiens, harum fines infarcit & obſtruit, vel quia ex arteriolis egreſſa per poros ſuos ad cuticulam uſque perduci non poteſt: hæret in illis, arteriolaſque vicinas comprimendo, ſan-

guinis hærentiam parit; quæcumque igitur inſenſibilem tranſpirationem ſpiſſiorem & acriorem efficere poterunt, ſcabiem remote producunt, uti cibi ſaliti, piperati, terreis ſaliniſque partibus feti, potus liquorum ardentium, exercitia nimia, vigiliæ diutius protractæ, virus ſyphiliticum, febris intermittens diu recurrens, mutatio tempeſtatum ex calida in frigidam, & ex frigida in calidam, veſtium immunditiés, rara induſiorum mutatio, ſordes in cuti copioſe contractæ; demum contagium ipſum, quo ſcabies multo magis propagatur, quam cæteris aliis cauſis. contactu ſcabies communicatur, quia tranſpiratio ex ægro corpore emanans depravata poros cutis hominis ſani penetrat, & puſtulas ſimiles in ea parit: idem fiet ſi pus ex puſtulis ſuppurantibus exiens cuti ſanæ applicetur, particulæ tranſpirationis nec deſtructæ, neque ſuppuratione alteratæ, poros ſanæ cutis penetrant, & ſcabiem producunt. Has vero particulas ſuppuratione non deſtrui, communicatio variolarum per inſertionem facta demonſtrat; demum ſcabies communicabitur, ſi homo ſanus veſtes & induſia a ſcabioſo depoſita non mundata induat, aut cum eo dormiat, imo ſi manus lotas linteo abſtergat, quo ſcabioſus ſuas recenter abſterſit. Hoc modo ſcabiem communicari poſſe vulgus exiſtimat.

SYMPTOMATA.

1. Puſtulæ in cute erumpunt parvæ & exiguæ, rubicundæ tamen, quia in finibus arteriolarum cutanearum ſanguis colligitur; arteriolæ illæ exiliſſimæ ſunt; ergo in tumorem exiguum attolluntur.

2. Puſtulæ illæ ſparſim diſſeminantur in cute, quæ ideo exaſperatur, quia plurimæ ſparſim afficiuntur; erumpere incipiunt in manu præſertim, quia cuticula ob continuum aeris contactum ibi den-

denſior, tranſpirationis exitui magis obſtat; dein in reliquo corpore diffunduntur, ſi faciem excipias ubi major ſanguiferorum vaſorum numerus tranſpirationem ad exitum magis urget, & cuticula rarior minus obſtat.

3. Puſtulæ pruritum moleſtum procreant, quia particulæ tranſpirationis cohibitæ, rigidæ, & duræ, vaſa vellicant & pungunt, aut vaſa in has particulas oſcillando incurrentia graviter afficiuntur, inde pruritus moleſtus, cui ſcalpendo mederi conatur æger, quia particulæ ſcalptu preſſæ, attritæ effluunt, unde momentaneum doloris levamen, quod major pruritus cito excipit, quia ſcalptu major fit ad vaſa ſanguinis appulſus, quæ idcirco magis tenſa gravius afficiuntur: ſanguinem vero majori copia ſcalptu ad vaſcula appellere calor major, intenſus rubor, pruritus augmentum, quæ ſcalptum ſequuntur, demonſtrant.

4. In ſcabie ſicca puſtulæ exiguæ ſunt, materia eas producens acris; ergo ruptis arteriolis minimis, exigua humoris copia effunditur per poros cuticulæ diffflanda; aut ſi cuticula debiſcat, exit una aut altera gutta ſaniei, qua cruſta tenuis & exigua efficitur, materia vero acris ſcabiei ſub cuticula latens, cuticulam, cutem, & vaſcula irritando, & conſtringendo partes ſeroſas diffflat, fibraſque cuticulam cuti annectentes exſiccat, exſiccatæ rumpuntur; ergo ſquamulæ, quibus cuticula conſtat, excidunt.

5. Dum plures puſtulæ ſimul in unum coeunt, puſtulæ majores exſurgunt, ruptiſque pluribus vaſculis ſanguiferis excitatur ſuppuratio & cruſta puſtulæ teguntur; pus illud flavum, ſpiſſum & acre plerumque eſt, unde major pruritus non parum ægros moleſtans, ob indolem materiæ ſcabiem producentis.

6. Si puſtulæ plures adunentur, major puris co-

pia gignitur, quod ex particulis acrioribus conflatum partes vicinas rodit, ulcusque fetidum generat.

7. Ob crasim humorum salsuginosam scabies ut plurimum contumax est, & pruritus ægros molestat. Crasis hæc & pruritus vigilias pariunt; ab his omnibus consumitur pars lymphæ gelatinosa; inde reparationis defectus, & macies, quibus febris lenta quandoque adjungitur, præsertim si pustulæ sint majores, & pus copiosum effundant.

DIAGNOSIS.

Scabies in principio a pustulis variolarum recte distinguenda, ne morbi plurimum diversis confundantur. A variolis distinguitur, 1. quia variolæ faciem occupant, nequaquam scabies: 2. quia variolarum eruptionem febris, gravissimaque symptomata antecedunt; scabies vero erumpit sine ulla functionum læsione: 3. quia scabies pruritum semper affert, variolæ vero nunquam, sed puncturas pariunt, quales a pulicibus fieri solent: 4. pustulæ variolarum intra tres vel quatuor dies magnum incrementum suscipiunt; scabiosæ vero aut exiguæ manent, aut tardius crescunt, & diutius afficiunt. Causam scabiei ab ægri relatu, ex prægressis & concomitantibus assequitur Medicus.

PROGNOSIS.

Scabies affectus est pertinax, molestus ob morbi deformitatem & turpitudinem; in ætate juvenili sæpe ab aliis morbis præservat; sicca difficilius humida sanatur; quæ contagio communicatur, paucis adhibitis remediis evanescit; ea vero quæ crasis sanguinis salsuginosæ est effectus, diu remediis obsistit, & nisi conveniens methodus adhi-

hibeatur, vix ſanari poteſt. Scabies, quæ maciem magnam, & febrem lentam producit, periculoſa eſt; quæ hyeme & periodice redit, æſtate accedente fugatur: periculum majus eſt, ſi humor ſcabiei intus repulſus, a ſanguine deponatur in pulmonibus, cerebro, aliiſque partibus internis, ubi ulcera peſſima parit. Scabies in ſenibus periculoſior quam in juvenibus & adultis.

CURATIO.

Scabies reſolutione ſemper ſananda: ulcera vero ſi adſint ſordida, & profunda, ea mundificanda & detergenda remediis convenientibus, ut conſolidentur, neque ulcera ad cicatricem perduci poſſunt, niſi ſpecificis remediis ſcabies ſanetur. Si ſcabies fuerit recens, & contagio communicata, æger optimo temperamento fruatur, præmiſſis venæ ſectione, ſemel aut pluries repetita purgatione, juſculiſque pullorum refrigerantibus, foliis boraginis alteratis, ad ſpecifica deveniendum, quæ inferius exponentur.

Si ſcabies inveterata ſit, ſive ſicca, ſive humida fuerit, æger vero macilentus, ſicca & ſalſuginoſa humorum craſi præditus, & frequentem ſcabiei eruptionem paſſus ſit, antequam ſpecifica adhibeantur, diluentibus, humectantibus, & ſanguinem edulcorantibus diu uti oportet, ut temperetur & corrigatur mala humorum craſis, & ſcabies recte ſanetur, ſecus enim materia ſcabiei non emendata, adhibitis ſpecificis intus repelletur, ruetque in partes internas, unde graviſſimi affectus orientur: idcirco non ſemel obſervatum eſt, ſcabie intus repulſa, tuſſes, ſanguinis ſputum, pulmonumque ulcera orta fuiſſe. Ad hæc præcavenda mala, vena ſecanda, purgatio dein celebranda cum ſenna, tamaryndis, pulpa caſſiæ, floribus perſicorum

&

& manna; huic ſuccedere debent juſcula pulli, additis cancris fluviatilibus duobus aut tribus, foliis boraginis, per dies decem ſumenda, iterata in fine purgatione; poſt hæc ſerum lactis clarificatum, additis ſucci cærefolii depurati unciis duabus, per dies quindecim ſumetur, ac iterum celebrata purgatione in fine, lac aſininum per unum aut duos menſes haurietur.

Quo tempore æger lacte aſinino utetur, ſpecifica adhiberi poſſunt. Duo autem præſtant ad ſcabiem ſanandam, hydrargyrus & ſulphur; prior variis modis a nonnullis adhibetur; eum linteo duplicato includunt, quo lumbos cingunt; vel axillis applicant; hydrargyrus hoc modo adhibitus raro ſcabiem ſanat: alii ex eo unguentum parant, quod toti corpori illiniunt; capite excepto; modus id unguentum conficiendi, eſt unam hydrargyri terebinthina extincti partem, cum adipis ſuillini, agnini, aliorumve animalium partibus miſcere. Id unguentum ante ignem fero tibiis, pedibus, & cruribus illiniunt; æger dein lecto ſe componit ut dormiat; una aut altera elapſa die, brachiis illinitur, ſicque reliquis corporis partibus unguentum ſucceſſive applicatur. Tametſi hydrargyrus adverſus ſcabiem ſpecificum remedium ſit, non adhibendus tamen ſine maxima cautione: 1. Æger in cubiculo ſtare debet, præſertim ſi anni tempeſtas frigida ſit; quia ab aere frigido hydrargyrus, & ſcabiei materies in partes internas repulſa, ſtrages graviſſimas parere poſſunt. 2. Hydrargyrus ptyaliſmum ſæpe movet ægris non parum moleſtum, & aliquando periculoſum. 3. Scabie laborantes ſi pectus debile habeant, frequenter tuſſiant, aut ſputum cruentum patiantur, in magnum vitæ periculum conjiciuntur hydrargyro adhibito: hinc fit ut ſulphure ſcabiem ſanare tutius ſit; quapro-

pter

pter præmiſſis remediis præparantibus, ut ſupra dictum eſt, ſequens præparatur unguentum.

℞. *Lapath. acut. lib. ſem. fol. fumar. m. ſem. fol. nicotian. m. j. laur. m. ſem. coq. in aq. fontan. ſ. q. ad putrilaginem, dein contuſa per ſetaceum trajiciantur, pulpa extrahatur.*

℞. *Illius pulpæ unc. vj. flor. ſulphuris unc. ſem. ſal. marini decrepitat. & pulverat. dr. vj. adip. ſuillin. unc. iij. miſc. f. unguentum.*

Adeps prius liquandus ad ignem, dein pulpa additur agitando, ut intime permiſceantur, extractis ex igne priuſquam refrigeſcant; ſal tritum, & flores ſulphuris adduntur; mixtura agitanda, ut cuncta rite permiſceantur.

Aliud ſic confici poteſt.

℞. *Sulphur. viv. unc. iij. liqua in ol. communi. fervent. lib. ij. & ſem. bull. ad quart. part. conſumption. dein add. ſucc. citrin. unc. ij. nitr. purificat. & in pulver. redact. unc. ſem. nitro ſoluto refrigeſcant, ut unguenti conſiſtentiam acquirant.*

Ut horum fetor obtundatur, ſæpe aromata adduntur, ut flores Benzoini, ſtyrax, vel lavendulæ oleum eſſentiale, aliaque ſuaviſſimum odorem ſpargentia. Hoc unguento partes ſcabie affectæ inunguntur, non quidem omnes una vice, ſed partitis vicibus, ita tamen ut intra quatuor aut ſex dies totum corpus, ſi neceſſe ſit, inungatur. Hyeme domi manere oportet, æſtate vero, aliiſque anni tempeſtatibus mitioribus æger domo exire,

imo

imo & munia ſolita obire poteſt, niſi horum exercitium magnum laborem exigat.

Dum ſcabies inveterata eſt, æger macie conſumptus, febre lenta corripitur, nullum adhibere oportet topicum, ſed æger diæta lactea diu utatur, aliquoties in balneum domeſticum deſcendat, ut his cutis emolliatur, faciliorque ſit topicorum effectus, temperetur & corrigatur craſis ſicca, ſalſuginoſa humorum, ut materia ſcabiei diluta facilius per poros cutis exire queat; ergo tunc topica adhibenda, cùm cutis humidior fuerit, macies minor, pulſus naturalis, quæ indicant malam humorum craſim emendatam, poros cutis magis apertos, viamque tranſpirationis liberiorem.

CAPUT XVI.

De Herpete.

HErpes eſt tumor eryſipelaceus, qui cutem ſerpentibus minimis puſtulis exaſperat, ulceratque, pruritum plerumque excitans.

DIFFERENTIÆ.

Duplex eſt, miliaris, qui puſtulis milii ſemini ſimilibus cutis ſuperficiem exaſperat; exedens, qui ipſam cutem exulcerat, lateque in ambitu ſerpit, cujus puſtulæ cruſta obducuntur, cum pruritu moleſto, is herpes cruſtoſus quoque vocatur: herpes ſimplex ſeu miliaris ſquamulis exiguis albicantibus majori ex parte quandoque obtegitur, ſedem habet in glandulis cutaneis miliaribus.

Sedes herpetis exedentis tota cutis eſt, quam integre exulcerat, imo ulcus ſerpit ad muſculos cu-

ti

ti ſubjacentes. Rurſus herpes exedens unam tantum partem afficit, quandoque plures, nonnunquam tota fere cutis hoc herpete exaſperatur, & roditur, inde herpes particularis eſt, aut univerſalis. Demum venereus dicitur, dum a viru ſyphilitico producitur.

CAUSÆ.

Cauſa herpetis eſt obſtructio glandularum miliarium, & vaſculorum minimorum cutaneorum a lympha glutinoſa, duris & rigidis particulis feta. Hæc lympha in vaſis exiliſſimis cutaneis millies inflexis, maxime a corde diſtantibus, debiliter premitur; lente admodum movetur, adeoque levi de cauſa in illis hærere poteſt. Quæcumque igitur lympham ſpiſſam & acrem efficere poterunt, herpetem remote producunt; hanc lymphæ conſtitutionem pariunt cibi ſalſi, piperati, liquores ardentes, exercitia nimia, vigiliæ immodicæ, curæ, ſollicitudines graves diu durantes, ira nimia frequenter afficiens, virus ſyphiliticum, anni tempeſtas calidiſſima. Per contagium adhuc herpes communicatur, uti oſculando, ſi herpes in facie ſit, vel concubando; tranſpiratio pravis particulis inquinata, ex ægro emiſſa poros cutis concubantis vel deoſculantis meare poteſt, ſimilemque effectum producere; demum icterus, ſuppreſſa catamenia, febres intermittentes & continuæ, pavores & terrores ingentes herpeti natales præbent; huic generando favent anni tempeſtas calidiſſima, temperies viſcida & acris; inde fit, ut herpes obeſos uti macilentos aggrediatur, cum acris, glutinoſa eſſe poſſit in utriſque craſis.

SYMPTOMATA.

1. Herpes eſt tumor eryſipelaceus, quia pars affecta leviter admodum tumet, cum levi inflammatione, ſeu colore rutilanti, roſaceo, preſſione evaneſcenti.

2. Pars affecta puſtulis minimis exaſperatur, quia glandulæ miliares affectæ prominent, & cutis ſuperficiem exaſperant.

3. Herpes a parte in partem ſerpit, ob vaſorum communicationem, qua fit ut herpetis materia a vaſe in vas tranſire poſſit; inſuper glandulæ infarctæ ſanguinem ad liberas derivare copioſius faciunt, quæ proinde infarciuntur, his vero infarctis, ſanguis minori copia ad prius infarctas pellitur, quæ idcirco infarctu ſe liberant. Quandoque fit ut herpes evaneſcat, & in alia parte a priori multum diſtante erumpat; tunc materia herpetis repetitis vaſorum ictibus preſſa, per vaſa infarcta progreditur, vel vaſa ipſa debilitata cedunt, & ampliantur, ſicque ſanguini circulanti redditur, & ad aliam partem transfertur, ubi ſimiles infarctus producit, eumdemque morbum parit.

4. Pruritus quandoque ægros moleſtat ob materiæ herpetis acredinem, quæ tranſpirationem ſimilis indolis efficit: herpes miliaris in principio ſemper rubet; verum affectu perſeverante, faſciculi ſquamas cuticulæ cuti annectentes roduntur, aut exſiccantur, adeoque ſquamæ ſeparantur, pulverem album farinæ ſimilem æmulantes, ex quo fit, ut herpes in medio albeſcat.

5. Inflammatis glandulis cutaneis miliaribus, ſuppuratio nulla, aut vix ſenſibilis fit; aſt ſi cum ipſis vaſa quoque cutanea inflammentur, puſtulæ majores ſunt, ruptiſque vaſculis ſanguiferis una cum lymphaticis, fit ſuppuratio; pus autem viſcidum eſt, glutinoſum, flavum, acre; unde pruritus

tus hanc ſpeciem herpetis ſemper comitatur; ulcera cruſta obducuntur modo nigra, modo cinerea; nigra, ſi major ſanguinis quam lymphæ copia effundatur; ſecus vero, cineritia apparebit.

6. Herpes ſuppurans exedens dicitur ob copiam & indolem puris, quod partes vicinas rodit, imo ad partes ſubjectas ſeu carneas pervenit, quas depaſcitur; inde ulcera profunda & fetida generantur; ex eadem cauſa fit macies totius corporis, præſertim ſi plures herpetes ſimul in cute erumpant, oritur quoque febris lenta, ob partium puris cum ſanguine miſcelam, cui vigiliæ & graves anxietates adjunguntur: his producendis non parum confert craſis ſanguinis ſicca & ſalſuginoſa, quæ herpetum in pluribus locis eruptione indicatur, unde fit ut herpetibus per totam fere cutem erumpentibus, æger febre lenta & macie quaſi conſumptus videatur; dum herpes partes internas afficit, plura alia ſymptomata parit, quæ non ſolum ex ſuppuratione procedunt, verum etiam ex uſu & ſtructura partis affectæ.

DIAGNOSIS.

Herpes noſcitur ex inflammatione eryſipelatodea, cum puſtulis minimis cutem exaſperantibus; ſi pruritus ei adjungatur, ut plerumque fit, certior eſt diagnoſis: dum puſtulæ exulceratæ cruſta obteguntur & materiam flavam, viſcidam, & acrem evomunt, jam herpes eſt exedens. Herpes miliaris nullum, aut exiguum ichorem ejicit, ſed intra paucum tempus, ſquamulis cuticulæ decidentibus, pulvere cinerei coloris conſperſus videtur: herpes vero ſuppurans, dum cutis tantum ſuperficiem afficit, pruritum excitat, præſertim ſi cruſtæ ſcalptu avellantur; ſerpit e parte in partem uti herpes miliaris, exedens cutem totam, parteſque ſubjectas

ro-

rodit, & ulcus profundum fetidumque producit. Is herpes a parte in partes tantum vicinas serpit; nec ita locum mutat ut a capite ad dorsum, brachia, vel partes inferiores descendat.

An major vel minor sit herpes, an unus vel plures simul erumpant, facile noscitur. An mitis, vel malignus & exedens, ejus species & symptomatum vehementia declarant. Venereus tantum ex ægri relatu nosci potest, uti & contagiosus.

PROGNOSIS.

Herpes miliaris affectus periculosus non est, nihilominus tamen plerumque difficile sanatur; suppurans affectus est diuturnus, exedens, curatu difficilis, gravia habet adjuncta symptomata, & idcirco periculum quandoque affert, præsertim si febrem lentam, & maciem sibi adjungat: herpetes pluribus in locis simul erumpentes, uti pessimam sanguinis crasim indicant, ita graviſſima mala futura sæpe præsagiunt. Herpes pertinax a pluribus annis afficiens, etiam si desinat & recurrat, crasim sanguinis acrem, & viscosam indicat. Herpes in cute evanescens intus repulsus, malus & sæpe lethalis.

CURATIO.

Herpes miliaris recens contagio communicatus, vel a causa sanguinem non multum alterante inductus, sæpe per se evanescit, aut pauca requirit auxilia: tunc præmissis venæ sectione, purgatione, præscriptis jusculis pullorum refrigerantibus, pars affecta saliva abluatur mane jejuno stomacho, vel foveatur lacte virginali, aut ei illiniatur unguentum ex cera nova in oleo amygdalarum dulcium liquata confectum, vel unguentum paretur cum gummi Arabico in aceto soluto, ad unguenti consisten-

ſiſtentiam ſpiſſato, quod parti illiniendum eſt; immonnunquam hic herpes abſque ullo remedio evaneſcit, præſertim ſi æger optima ſanguinis craſi fruatur, quietem & diætam convenientem ſervet.

Verum dum herpes miliaris inveteratus eſt, difficile emendatur, quia a mala ſanguinis craſi fovetur, non facile emendanda: quapropter topica rejicere oportet, donec mala humorum craſis remediis internis fuerit emendata, ea tantum exterius applicari poſſunt, quæ cutem ſiccam nimis & aridam emolleſcere & oblinire valent, ut aqua tepida, oleum amygdalarum dulcium, lac virginale, ceratum Galeni.

Poſtquam mala ſanguinis craſis remediis internis emendata fuerit, topica parti affectæ applicari poterunt. Varia a variis proponuntur, quæ hic referre inutile foret. Quædam tantum proponemus, quæ maximi uſus ſunt; felicem fuiſſe unguenti ſequentis uſum experientia ſæpe docuit.

℞. *Unguent. roſac. unc. iij. mercur. præcipitat. alb. dr. iii. f. unguentum, quod bis in die parti affectæ illiniatur.*

Aliud quoque non minoris energiæ ſic parabitur.

℞. *Mercur. præcipitat. alb. dr. iij. flor. Benzoin. & ſulphur. ana dr. ij. camphor. ſcrup. ſem. ſal. ſaturn. dr. ii. & ſem. cum ſ. q. adip. agnin. & ceræ novæ f. unguentum.*

Sequens unguentum non ſemel profuit.

℞. *Fuligin. camin. per ſetaceum traject. unc. ſem. nitr. purificat. & alumin. pulverat. ana dr. j. unguent. de lithargyro unc. j. cum ſ. q. ol. amygdalar. dulc. f. unguentum.*

Aliqui gummi Arabicum aceto ſolutum herpeti imponunt; alii cretam albam pulveratam cum lactis cremore miſcent, & herpeti illiniunt. Nonnulli herpeti pertinaci aquam aluminoſam applicant, id quidem prudenter agendum, ne alumen materiam herpetis intus repellat, aut eam ita cogat, ut reſolvi non poſſit. Si herpes venereus fuerit, frictionibus mercurialibus radicitus ſanabitur, nec alteri remedio cedet, cum mercurius ad virus ſyphiliticum debellandum ſpecificum ſit; idcirco unguento mercuriali ægrum uti oportet.

Ad herpetem exedentem ſanandum, operoſior methodus adhibenda, nec topicis inſiſtere oportet, quin mala ſanguinis craſis remediis internis prius emendata fuerit; idcirco præmiſſa diæta humectante, ſanguinem ſemel aut bis, imo ſæpius, ſi neceſſitas exigat, detrahere neceſſe eſt, præſertim ſi herpes exedens inveteratus ſit, ob inſignem totius corporis maciem: dein purgatio pluribus doſibus celebranda cum ſenna, tamaryndis, caſſia & manna; evacuata primarum viarum ſaburra, juſcula pulloruum præſcribenda ſunt, quibus ſerum lactis clarificatum ſuccedet, per dies decem & quinque ſumendum, & ſi per anni tempeſtatem liceat, æger balneabitur ſimul; ſumet ergo mane ſerum lactis, & hora quinta ſerotina in balneum domeſticum deſcendet, dein aquas minerales acidulas, balneo Mariæ tepefactas, per dies decem hauriet, ſumendo qualibet die harum cyathos duodecim, vel decem & quinque: prima die, mannæ unciæ ſolventur in primo aquarum cyatho, ultima die eadem doſis mannæ in ultimo quoque cyatho ſolvetur.

Finito aquarum acidularum uſu, ſerum lactis per dies quindecim iterum præſcribetur, & celebrata poſt hujus uſum purgatione, æger ſumet mane lac aſininum per duos aut tres menſes continuandum. Utprimum ſtomachus lacti erit aſſuefactus, æger cœ-

cœnabit cum offa lactis vaccini vel oryza eodem lacte parata, celebrata purgatione in medio & fine usus lactis.

Dum hæc interius adhibentur, herpetem mundare oportet, ei imponendo balsamum Arcæi, vel oleum ovorum, vel ceratum Galeni, oleo amygdalarum dulcium paratum, vel unguentum de lithargyro, aliisque emollientibus. Imo pus educere oportet, lotione bis in die facta cum decocto hordei, & melle. His itaque parte affecta emollita, diluta, & edulcata sanguinis crasi, ad topica fortiora deveniendum, qualia sunt borax, ærugo, staphisagria, oleum tartari, euphorbium, helleborus albus, pyrethrum, vitriolum album, nitrum, sal marinum, mercurius, vel varia ejus præcipitata, ex quibus unguenta conficiuntur herpeti imponenda. Sequens unguentum his anteponatur.

℞. *Æthyop. mineral. cum sulphur. parat. unc. ij. axung. porcin. insuls. q. s. f. unguentum.*

Herpeti id illinietur per plures dies; si neque hæc prosint, & herpes partes vicinas magis exedat, tunc plures lapides caustici circa herpetem in circulum disponentur super cutem sanam, ut eschara profunda fiat, sicque suppuratio excitata, omnem humoribus aditum ad partem herpete laborantem, præcludet, quæ idcirco mortificata excidet, ac dein promota laudabili suppuratione, vascula succis pessimis & acrioribus farcta, a sanis separata, herpetem fovere nequeunt, qui hac methodo radicitus sanabitur.

CAPUT XVII.

De Lepra.

SCabiei proxime affinis eſt lepra, & quaſi gradus intenſior. Hujus tres recenſentur ſpecies: lepra Judæorum, cujus mentio fit in Sacris Paginis, quæ magis ad herpetem quam ad ſcabiem pertinere videtur. Lepra Græcorum, quæ ab aliquibus impetigo, lichen, & vitiligo dicitur. Lepra Arabum, ſeu Elephantiaſis, quæ omnium graviſſima eſt. Medici de lepra Judæorum non agunt, eam enim Sacerdotes ſanabant, juxta ritum a Lege præſcriptum; itaque de lepra Græcorum & Arabum tantum agemus.

Lepra Græcorum eſt puſtularum in cute eruptio, quæ furfuraceæ, ſquamoſæ, vehementer pruriunt: hæ puſtulæ majores quam in ſcabie, in principio paucæ erumpunt, præſertim in brachiis & cruribus. His cito alteræ adjunguntur, adeo ut brevi plures earum aggeries in pluribus cutis locis obſerventur; perſeverante morbo in facie quoque erumpunt, quam dire deformant. His rubor obſcurus adjungitur, qui in livorem citro mutatur, & ſquamulis decidentibus ichore puſtulis exit acerrimus, pruritum vehementiſſimum excitans, inde puſtulæ cruſta obteguntur: ingraveſcente malo, puſtulæ majores evadunt, ſuppurant, ſaniem emittunt ferentem, acerrimam, graviſſimam pruriginem excitantem, jam lepra Arabum fit; unde liquet lepram Græcorum viam eſſe ad elephantiaſim, de qua nunc agemus.

Elephantiaſis eſt aggeries puſtularum durarum, inſenſibilium, quæ exulceratæ ſaniem fetentem emittunt; unde ratione duritiei & fetoris materiæ pu-

purulentæ aliqui elephantiasim cancrum dixere: his accedunt maculæ lividæ, lassitudo spontanea; deformis fit facies; æger tristis & morosus; difficile respirat; halitus ex ore exeunt admodum fetentes; sitit æger & cibi fastidio corripitur; pulsus parvus & inæqualis est; alvus constipata; urina lotio jumentorum similis; cutis aspera, dura ubique corrugatur; facies livore defœdatur, tantæque pustulæ in ea quandoque erumpunt, ut æger aspectu horribilis fit; manus, pedes adeo tument, ut ubi inveteratus est morbus, digiti in manibus, pedibusque sub tumore condantur.

Ast quod adhuc horribilius est, a pure acerrimo partes erosæ decidunt; sic digiti manus, pedis, nasus, aures, aliæque partes syderatæ prius a corpore separantur, quam æger satis occumbat, nec partibus internis dira hæc lues parcit; sectione enim cadaverum constat pulmones obstructos & penitus aridos, intestina pariter exsiccata, glandulas mezenterii obstructas, hepar & lienem excorrugata, & simul dura reperta fuisse, arterias sanguine exinanitas, venas vero atro, lividoque sanguine repletas.

CAUSÆ.

Ex his rite consideratis manifestum est fluida vapida, feculenta, salsuginosa esse admodum, adeoque sanguinem & lympham summe crassa, & acredine summa prædita, ad fluendum intra vasa exilissima non esse idonea. Quapropter causa proxima utriusque lepræ est obstructio glandularum ductuumque lymphaticorum cutaneorum a lympha summe viscida, & salsuginosa producta: quoniam autem lepra Græcorum remissior est elephantiasi, illa fit a lympha minus viscida & salsuginosa;

ista majorem crassitiem & acrimoniam in fluidis supponit.

Hanc crasim humorum crassam & salsuginosam plura efficere possunt, ut usus ciborum acidorum, salsorum, ut caro bovina, porcina, sale condita: item cibi salsi, sicci, quibus Navigatores vescuntur, butyrum, laridum, caseusque, rancida, panis furfurius, legumina, caro cruda lepram producunt, si his diutius vescantur: similiter potus nimius cerevisiæ, vini spissioris, aquæ vitæ aliorumque similium. His vehementiora animi pathemata addantur, ut pavor metusque ingens, nimia corporis exercitia; regio quoque calidissima ad lepram producendam non parum confert; inde in Africa, Hispania, Lusitania, sæpius observatur quam in regionibus temperatis, ubi rarissime producitur.

Præter hæc quædam sunt quibus lepra suos natales debet, ut lues scorbutica, scrofulosa, syphilitica, ab ista præsertim lepram produci ex eo evincitur, quod lues venerea pustulis multis in cute erumpentibus sæpe se prodat, & inveterata eamdem crasim humorum inducat, eademque fere symptomata pariat ac lepra; inde factum est ut plures Medici opinentur lepram nihil aliud esse quam luem veneream inveteratam; adeoque nihil mirum, si hodie tam rari observentur leprosi, quia lues venerea hydrargyro penitus debellatur. Fateor equidem luem veneream lepræ natales præbere posse; imo lepram fuisse communem morbum, ut ex hospitiis pluribus in locis constructis ad leprosos recipiendos manifestum est, quæ hodie inutilia sunt, quia tunc accurata non erat luem veneream curandi methodus; sed negamus lepram nihil aliud esse, præter luem veneream inveteratam, cum ab aliis causis remote producatur, & præsertim cum ante luis venereæ originem cogni-

ta

ta sit, ut ex Celso accipimus, qui sic de elephantiasi loquitur: „ Ignotus pene in Italia, frequentissimus in aliis Regionibus morbus is est, quem „ elephantiasim Græci vocant.

Demum lepra hereditate contrahi potest, ut observationibus plurimis constat; qui ex leprosis parentibus nati, elephantiasi correpti obiere; contagiosa quoque est, cum pluribus modis ex corporibus ægris in sanos invehi possit, ut osculis, coitu, vel cum leproso dormiendo, ejusdem indusia sordibus inquinata induendo, vel potando in cyatho in quo bibit, præsertim si lepra in ultimo gradu sit, & fluida maxime alterata, quia pus e pustulis erumpens, imo saliva & halitus undique e corpore leproso emanantia, pessime mutata morbum similem in sanis producere valent; ob id olim mos erat leprosos in hospitiis publicis colligere, ejusque omne cum sanis commercium cohibere, ne dirus ille affectus in sanos grassaretur; quæ sane indicant lepram contagiosam fuisse, cum ad eam præcavendam Urbium Præfecti tot cautionibus uterentur.

SYMPTOMATA.

1. Lepra Græcorum pustulis in cute erumpentibus declaratur, quia glanduiæ cutaneæ a lympha viscida obstructæ, tumores exiguos, duros admodum efficiunt. Hæc vero lympha glandulas cutaneas potius quam internas in principio afficit, quia major est calor & crusionis motus in partibus internis, quam in cute; ergo facilius in glandulis cutaneis hærere potest; inde patet cur pustulæ in artubus utplurimum erumpere incipiant, & paucæ in principio appareant.

2. Pustulæ brevi, & plures, & in pluribus cutis locis erumpunt, quia cito crescit lymphæ vi-

ſciditas, adeoque plures puſtulæ pluribus in locis fiunt.

3. Furfuraceæ ſeu ſquamoſæ fiunt puſtulæ, quia lymphæ viſciditate, & ejuſdem acrimonia, fibrarum faſciculi cuticulam cuti annectentes deſtruuntur vel roduntur; ſicque cuticulæ ſquamæ decidunt.

4. Propter humorum viſciditatem, puſtularum duritiem & numerum, ſanguinis circuitus in cute affecta magnopere retardatur; ergo ſanguis in ſuis vaſis hærens craſſeſcit, & fit ater; ex eo liquet cur puſtulis in facie erumpentibus, ea adeo deformis fiat.

5. Squamis decidentibus puſtulæ evomunt ichorem acerrimum; ruptis vel eroſis vaſis lymphaticis, lympha effunditur, viſciditate & acrimonia peccans; acrimonia pruritum vehementiſſimum excitat, viſciditate, aeris contactu adaucta, cruſta efficitur.

6. Ingraveſcente morbo lymphæ viſciditas & acrimonia creſcunt, puſtulæ majores fiunt, & multiplicantur, magis ac magis ſanguinis circuitus in vaſis cutaneis præpeditur, quæ ſanguinis copia nimis repleta, & diſtenta rumpuntur, vel lymphæ acrimonia roduntur; unde ſuppuratio fit, neque ex ſanguine & lympha adeo mutatis pus laudabile conſtitui poteſt; generatur ergo ſanies fetens & acerrima, pruritum vehementiſſimum excitans. Jam non eſt amplius lepra Græcorum, ſed Arabum, ſeu elephantiaſis.

7. Qua proportione puſtulæ creſcunt, duriores quoque evadunt, ac multiplicatis glandularum cutanearum, ductuumque lymphaticorum obſtructionibus, fibræ nerveæ papillas nerveas efformantes maxime preſſæ ſennis ationiſcapaces fiunt; idcirco puſtulæ, ipſaque cutis ſenſu orbantur.

8. Maculæ lividæ ubique erumpunt, quæ a tarda

da difficilique ſanguinis circulatione, & ipſius viſciditate oriuntur.

9. A lympha & ſanguine viſcidis, tardeque per contextum muſculorum provolutis in fibris carneis hærentibus, motus muſculorum difficilis fit. Inſuper vaſa fibras carneas componentia a ſanguine ſtagnante opplentur & obſtruuntur; inde naſcitur laſſitudo ſpontanea.

10. A ſanguine ubique per vaſa minima ægre incedente, & horum tunicas diſtendente, vehemens fit fibrarum diſtractio; inde anxietates, quæ triſtitiam & moroſitatem pariunt. Pariter a fluidis in vaſculis pulmonum præ craſſitie ſtagnantibus libera veſicularum trachealium, aliorumque ductuum expanſio præpeditur, fitque reſpiratio difficilis.

11. A ſanie in puſtulis ſuppurantibus genita, in ſanguinem tacite invecta, totamque humorum maſſam corrumpente, febris lenta excitatur cum ſiti, & ciborum faſtidio: hanc vero humorum corruptionem halitus fetentes per os emiſſi manifeſte oſtendunt.

12. Ingraveſcente elephantiaſi, maſſa fluidorum adeo alteratur, ut ſoluto naturali partium nexu, varia in ea concreta generentur, & omnes unctuoſæ partes deſtruantur: inde cutis arida & aſpera fit. Hæret & colligitur lympha in extremitatibus, inde tumor pedum, manuumque, ac tandem præ fluidorum viſciditate, ſanguinis circuitus in partibus externis aboletur, gangræna & ſphacelus accedit, partes demum affectæ aliis adhuc viventibus ſeparantur, uti digiti manuum, pedumque, nares, aurium cartilago, &c. ex quibus facile liquet cur perſeverante elephantiaſi, partes quoque internæ, obſtructis viſceribus gangræna tandem & ſphacelo laborent.

DIAGNOSIS.

Lepra Græcorum noſcitur puſtulis in cute erumpentibus furfuraceis, ſquamoſis, quibus rubor obſcurus, mox in livorem mutandus adjungitur, ichorem acerrimum cum vehementi pruritu ejicientibus; dum puſtulæ creſcunt, duriores evadunt, maculæ lividæ ubique fiunt, & laſſitudo ſpontanea oritur.

A ſcabie diſtinguitur, quia puſtulæ majores ſunt quam in ſcabie, duriores, ichorem acerrimum ejicientes. Rurſus rubor obſcurus mox in livorem mutandus puſtulis leproſis adjungitur, nec non maculæ lividæ cutem pluribus in locis afficiunt, ægerque laſſitudine ſpontanea corripitur, quæ in ſcabie minime obſervantur.

A puſtulis quibus lues venerea nonnunquam declaratur, lepra diſtinguenda eſt. 1. Puſtulæ ſyphiliticæ, nonniſi poſt impurum coitum erumpunt, & morbi venerei eas plerumque antecedunt; ſecus vero puſtulæ leproſæ. 2. Puſtulæ ſyphiliticæ ruborem obſcurum in ambitu non habent, mox in livorem mutandum; maculas lividas cutem defœdantes non ſibi adjungunt, nec ichorem adeo acrem cum tanto pruritu ejiciunt, niſi lues venerea ſit inveterata, æger peſſima fluidorum craſi fruatur, & remediis antivenereis etiam prudenter & tempeſtive adhibitis obſtiterit; tuncque luem veneream in lepram abire maxima eſt ſuſpicio.

Quoniam lepra Græcorum gradus eſt ad elephantiaſim, ea ergo noſcitur incremento notabili puſtularum, quæ ſuppurantes emittunt ichorem fetentem acerrimum, cum febre lenta, difficili reſpiratione, ſenſu tactus in vicinia puſtularum plerumque abolito, oris fetore, extremitatum intumeſcentia, accedente earum ſucceſſiva ſyderatione, cum

cum macie insigni reliqui corporis, ægro tristi & anxioso multum.

An lepra hæreditaria sit, an contagio communicata, an ab usu rerum non naturalium acquisita, ex prægressis & ægri relatu Medicus assequetur. Utrum a lue syphilitica, scrofulosa, vel scorbutica producatur, accurata consideratio omnium symptomatum lepram concomitantium, aut antecedentium docebit.

PROGNOSIS.

Lepra Græcorum inter affectus longos merito ponitur; in principio medelam suscipit, modo hæreditaria non sit, aut æger male constitutus, nec cum lue scrofulosa, vel scorbutica complicetur; nec lepra facilius tollitur quæ a viru syphilitico ortum habet, cum lues venerea in lepram non mutetur, nisi quia vis hydrargyri cæterorumque omnium remediorum ab ea vincitur, adeoque a lue insanabili lepra producitur. Dum vero malum ingravescit, pustulæ multiplicantur; majores & duriores evadunt, suppurant, aliaque symptomata gravia sibi adjungunt, malum vix medelam suscipere potest; durat tamen & ægros per plures annos quandoque molestat, priusquam in elephantiasim mutetur: hæc autem nullam omnino medelam suscipit, quia non tantum partes externas sed & internas afficit: dum partes externæ sydera-tæ successive decidunt, macies totius corporis insignis, summa virium prostratio, & imprimis ferentes halitus ex internis per os exeunt; mors futura brevi imminet.

URCATIO.

Ut lepra curetur, crasis lymphæ spissa, tartarea, fe-

feculenta, & acris emendanda, adeoque alterantia, incidentia, diluentia, & edulcantia ſucceſſive adhibenda: at imprimis aer, ſi inſalubris ſit, illico mutandus, & mala victus ratio emendanda, ut aere puriore reſpirato, & cibis melioris indolis aſſumptis, craſis humorum peſſima emendetur; dein ſanguis bis aut ter protinus mittendus, juxta ægri vires & ætatem: ad ſaburram primarum viarum eliminandam ſequens paretur potio purgans.

℞. *Senn. mundat. dr. iij. rh. contuſ. & tartar. ſolubil. ana dr. j. epithym. inciſ. & ſummitat. abſinth. ana p. i. coq. in decoct. polypod. quercin. ad unc. xij. in colatur. & expreſſ. diſſolv. mann. calabrin. unc. iij. f. pot. pro duplici doſi. Primæ add. tartar. ſtibiat. ſolubil. gr. iij. vel iv. f. pot.*

Secunda doſis exhibeatur duabus horis poſt primam; & una hora poſt ſecundam doſim juſculum propinabitur: facto duorum dierum intervallo, iterum celebrabitur purgatio, adempto tartaro ſtibiato; unoque poſt purgationem elapſo die, ſequens parabitur juſculum per dies decem ſumendum.

℞. *Pull. junior gallinac. pelle nudat. & exenterat. aut loco illius carn. vitulin. lib. ſem. coq. per hor. ij. in aq. fontan. ſ. q. add. dein radic. enul. campan. ſiccat. & contrit. dr. j. chin. radic. & lign. ſaſſafr. contuſ. ana dr. i. & ſem. coquant. per horam unam, dein add. cancr. fluviatil. in aq. calid. lot. & in mortar. contuſ. n. iv. milleped. in vin. alb. lot. & vivent. contuſ. n. xij. coq. per horæ dimidiam partem. Sub fin. coction. leviter bull. fol. naſturt. aquat. m. j. col. & exprim. f. juſcul.*

Fi-

Finito jusculorum usu, & purgatione iterum celebrata, æger hauriet mane in lecto libram unam seri lactis vaccini coagulo vulgari extracti, cum ovi albumine clarificati, in quo ferrum rubiginosum igne candens extinguetur, additis succi cærefolii per residentiam depurati unciis tribus, sacchari tantillo. Usus seri lactis erit dierum quindecim, quibus elapsis purgatio iterum celebrabitur, factoque unius diei intervallo, sequens jusculum parabitur per dies viginti sumendum.

℞. *Pull. gallinac. pelle nudat. & exenterat. viperam, capite & cauda abscissis, pelle nudat. exenterat. relictis pulmonibus, corde, & hepate, & in frustula sectam, folior. boragin. m. j. cærefol. p. j. ponant. in olla fictili nova, affusis sex aquæ fontan. cochlearib. probe operta & luto obducta, bull. bal. mar. per hor. v. postea jusc. trajiciat. factaque forti expressione sumatur.*

Eodem tempore, æger prandio & cœna comedet pullum gallinaceum sequenti methodo saginatum. Viperæ viventes, abscissis capite & cauda, pelle nudatæ, exenteratæ, in frustula dissecentur, & cum hordei probe mundati manipulis duobus vel tribus, in aqua donec hordeum rumpatur, fiatque pasta qua pulli alantur, qui igne assi ægro comedendi sunt.

Finito jusculorum usu, æger per dies duodecim sumet seri lactis ut supra præparati haustum, celebrata in fine purgatione, factoque unius diei intervallo, sequens parabitur opiata, per dies novem sumenda.

℞. *Croc. mart. aperient. dr. iij. senn. mundat. pulverat. dr. ij. flor. martial. æthyop. mineral. sine igne pa-*

parat. ana dr. i. & ſem. antimon. diaphoret. diacrid. & cinnamom. ana dr. j. extract. hellebor. nigr. dr. ſem. redigant. omnia in pulver. & cum ſ. q. ſyrup. flor. perſicor. f. opiat. ad dr. i. & ſem. ſuperbibendo juſculum foliis naſturtii aquatici alteratum.

Finito opiatæ tempore, ac celebrata purgatione, lac aſininum per menſes duos præſcribendum, ut humores diviſi ac fluxiliores facti, edulcentur: iis tamen remediis diu inſiſtere oportet, quoniam lepra morbus pertinax eſt; idcirco attente conſiderato medicaminum effectu, huic inſiſtere debet Medicus, quod utilius efficaciuſque experientia novit.

Attamen ſi, irritis medicaminibus, lepra ingraveſcat, jamque immineat elephantiaſis, illico æger vigeſies & ultra in balneum domeſticum deſcendat, bis qualibet die, ſcilicet ſero & mane adhibitum, ſimulque lac aſininum hauriet. Finito balneorum tempore, ſanguine detracto & purgatione convenienti celebrata, illico ad frictiones mercuriales veniendum, quæ maxima cum cautione fient, drachmas tres tantum unguenti mercurialis qualibet frictione exhibendo, & intervallum trium dierum inter duas frictiones ponendo: ſic ſenſim totum corpus unguento inungetur, ut ſpatium dierum quinquaginta conſumatur non mutatis induſiis, niſi hoc dierum ſpatio elapſo; tunc ſolo lacte æger veſcatur, quater vel quinquies in die lac ſumendo: his autem humores ſimul dividuntur, fluxiliores fiunt, & edulcantur, adeoque ſi cura obtineri poſſit, nullum aliud præſtantius, tutiuſque videtur, cum craſſities ſumma & acredo humorum iis maxime emendari poſſint.

Aſt ſi, victis remediis, lepra exaſperetur, fiatque elephantiaſis, nulla affulget ſalutis ſpes: quapropter

pter cura palliativa tantum adhibenda, quæ optimis cibis, purgationibus, imo lacte identidem exhibito, obtinebitur; si pustulæ in suppurationem abeant, detergentibus & mundificantibus uti oportet, præprimis lotionibus, seu decoctis vulnerariis pustulas suppurantes mundando. Interim cavendum, ne dirus hic morbus sanos per contagium infestet.

CAPUT XVIII.

De Rheumatismo.

RHeumatismus est dolor partium membranosarum a causa interna oriundus.

DIFFERENTIÆ.

Dividitur in universalem & particularem, fixum, & vagum. Universalis est, dum plures simul corporis partes membranosæ afficiuntur. Is nusquam sine febre sua percurrit tempora: particularis vero, dum unam aut alteram partem occupat, is dolor rheumaticus vulgo dicitur: fixus, quando eamdem constanter partem afficit: vagus, dum e parte in partem vagatur: externus vocatur, quando partes externas ut tegumenta, membranam musculorum, aut periosteum afficit: internus vero, si interiores membranas obsideat, nulla enim est quæ rheumatismo corripi non possit. Rursus, si lumbos occupet, rheumatica lumbago dicitur; si periosteum ossis ischii, aut membranas musculorum huic ossis vicinorum aggrediatur, dolorischiaticus vocatur. Demum si articulos, & spatia vicina simul divexet, rheumatismus arthriticus dicitur. Ratione causæ venereus, scorbuticus vel scrofulosus est; partes affectæ in principio nec tument,

ment, nec calent, nec rubent perſeverante morbo hæc accidunt, & inflammatio ipſi adjungitur. Rheumatiſmus diu durat, quandoque per annos, & dum contumax & diuturnus eſt, oſſibus ipſis non parcit, quæ in tumorem ſenſibilem, ſeu exoſtoſim attolluntur, ita rheumatiſmus arthriticus nodos in articulis parit, inde anchyloſis.

CAUSÆ.

Cauſa proxima eſt diſtractio dolorifica ductuum lymphaticorum aut nervo lymphaticorum a lympha ſpiſſa, partibuſque ſalinis fixis onuſta, in vaſculis harum membranarum hærente; quæcumque ergo lympham ſimili labe inficiunt inter cauſas remotas rheumatiſmi merito recenſentur ſic.

1. Frigus, calefacto corpore, ſubito admiſſum, quatenus lympham in corporis habitu circulantem ſpiſſat, poros cutis conſtringit, & tranſpirationem inſenſibilem cohibet; idcirco lympha craſſeſcit, partibuſque ſalinis fit ſimul turgida; ergo corpore æſtuante immerſio in aquis frigidis, vel mora longior in locis ſubterraneis frigidis, humidiſque, aut ſi æſtuans corpus aura frigidior perflavit, decubitus in locis humidis & frigidis, corporum frigidorum contactus, vel applicatio per longius temporis ſpatium facta, rheumatiſmum ſæpiſſime pariunt: eodem modo agunt repentinæ aeris mutationes, quæ e calido in frigidum fiunt; unde hyeme & vere rheumatiſmus frequentior eſt, qui rarius æſtate & autumno recurrit.

2. Suppreſſæ aut imminutæ ſenſibiles evacuationes quæ ſuccos pravos, extraneoſque e corpore ejiciunt, ut catamenia, in puerperis lochia, lac quoque per uterum, mammas, aut altera cola non ſufficienter evacuatum, rheumatiſmum ſæpiſſime gene-

generant; ita bilis & urina retenta, transpiratio insensibilis, &c.

3. Virus venereum, scorbuticum, & scrofulosum, quatenus lympha glutinosa & acris horum miscela efficitur. Horum enim proprium est lympham præ cæteris fluidis inficere; unde fit; ut lues venerea dolores rheumaticos adeo frequenter pariat.

4. Usus nimius salsorum, acrium, potusque liquorum ardentium, vigiliæ immodicæ, exercitia & labores nimii, insolitaque animi pathemata vehementia sæpe recurrentia, diuque divexantia, ut iræ, sollicitudines graves. Hæc etiam serum sanguinis absumunt, lympham exsiccando densant, pluribusque salinis partibus fixis gravidant: inde grumi, & concreta fiunt dura, & difficile dissolubilia, unde morbi pertinacia.

5. Rheumaticus humor si locum mutet, spatiaque inter articulos occupet, arthritidem efficit, unde liquet arthritidem a rheumatismo differre, ratione situs, cum uterque affectus ab eadem causa producatur. Ad rheumatismum disponunt temperies sanguinolenta labe acri infecta, ætas mascula, sicca & acris humorum crasis, cum fibrarum ariditate & corrugatione, ita cachexiæ bilioſæ soboles est.

SYMPTOMATA.

1. Membranæ affectæ dolent, quia vascula earum exilissima, a lympha hærente repleta, tensa, valideque distracta ruptioni appropinquant. Rursus lympha hærens non solum spissa, verum etiam acris quandoque est; ergo pungendo vascula in quibus colligitur, dolorem procreat. Ex his liquet, 1. Cur dolor mitis & tolerabilis quandoque fit, modo gravis, & acutus. 2. Cur nonnunquam con-

continuus, aliquando vero nonnisi mota parte affecta persentitur; cum hæc a gradu infarctus ac tensionis vasculorum & indole lymphæ infarcientis procedant.

2. Dum dolor tolerabilis, nec continuus est, pars affecta nec tumet, nec rubet, nec calet, quia ob minorem vasorum infarctum, & levem doloris gradum, motus sanguinis in membranis affectis, nec in partibus vicinis vix intercipitur. Is plerumque vagus a parte in partem serpit, quia lympha obstruens vasorum pressione progreditur, lente quidem, tandemque ad venas lymphaticas majores pervenit, quibus ad vasa sanguifera ducitur, sicque non satis divisa ad membranas aliarum partium a sanguine rapitur, quarum vascula simili modo infarcit; inde patet cur rheumatismus nonnunquam in partibus externis evanescens, ad partes internas subito irruat, & affectus graviſſimos, plerumque lethales pariat.

3. Si rheumatismus fixus & constans in aliqua parte sit, dolor est acerbior, quia major est lymphaticorum infarctus; cæterum ob majorem lymphaticorum infarctum, & doloris gradum, sanguinis motus non solum in affectis membranis, verum etiam in partibus vicinis, & in tegumentis intercipitur: inde fit calor, rubor cum inflammatione partis affectæ: hæc rheumatismi species febrem cum vigilia & graves anxietates habet adjunctas.

4. Si plures partes simul rheumatismo laborent, febris semper comes est cum vigiliis & anxietatibus, quia dolore acuto & continuo nervi maxime succutiuntur, fluidum nerveum majori impetu & quantitate ad cor, totumque systema vasorum influit; ergo accelerandus sanguinis motus. Rursus rheumatismus plures partes simul afficiens, pejorem humorum crasim indicat, qua febris produci-

citur; & ideo ſanguis e vaſis apertis pleno ſaltu emiſſus, tenax, viſcidus, pelle inducitur craſſa ad inſtar corii porcini; a febre, & dolore vigiliæ & anxietates oriuntur. Rurſus ob maximum plurium membranarum infarctum acutiſſimus fit partium affectarum ſenſus, qui tantus quandoque eſt, ut leviter premi, nec tangi ab integumentis poſſit, ſine magno doloris augmento; inſuper dato hoc infarctu, ſanguis ad cutem uberius determinatur, ductuſque ſudoriferi a ſanguine in cute lenteſcente & æſtuante referati, ſudorem continuo fundunt, ſine morbi levamine.

5. Datur partium affectarum ad motum impotentia, non quia debiliores fiunt, ſed quia ob minimum eas movendi conatum, dolor acutiſſimus producitur, qui lipothymiam, vel ſyncopem parit. Infarctis vaſculis membranæ adeo tenſæ ſunt, ut a minima diſtractione ruptioni magis appropinquent; inde partes immobiles & veluti rigidæ quandoque manent. Rurſus dum dolor maxime ſævit, maximuſque eſt vaſculorum infarctus, fluida ad partes vicinas uberius appellunt; exinde cutis præter naturam tumet, caletque; imo perſeverante rheumatiſmo ſubtumida & œdematoſa fit, laxato ob nimiam repletionem vaſorum textu.

6. Partes rheumatiſmo graviter affectæ inflammantur; & quandoque ſuppurant, vaſa lymphatica infarcta ſanguifera vicina comprimunt, dolor vero acutus ea ſtringit, ſicque ſanguinis circuitus præpeditur, qui collectus & æſtuans in vaſis tenſis & elaſticis inflammationem parit; verum a continuo ſanguinis appulſu ad vaſa infarcta, niſus ejus & impetus in vaſorum tunicas augetur; hæ tandem rumpuntur, & ſuppuratio fit, ſed pure ſemel facto, febris lenta, macies, viriumque proſtratio fient.

7. Si dolor rheumaticus arthriticus ſit, & arti-

culum aliquem diu & graviter afficiat, anchylosim sæpe parit, tum quia calor nimius partium affectarum, synoviam ossa articulata illinientem exsiccat, ac indurat, tum ob motus defectum humor synovialis in articulos delapsus, mora & quiete densatur, & indurescit: item in ossibus vicinis sæpe oritur tumor, seu exostosis, vitiata lympha medullari in ossium fibris hærente, easque suo sero laxante & emolliente: idem quoque contingit in cartilaginibus, ligamentis, imo periosteo, quod aliquando ita intumescit, ut exostosim æmuletur.

DIAGNOSIS.

Rheumatismus dolore partium membranosarum noscitur; quoniam vero membranæ dolere possunt ob inflammationem, ulcus, convulsionem musculorum, & varios tumores eas afficientes, aut in partibus vicinis sedem habentes, ut in ossibus, cartilaginibus, ligamentis; ideo ut rheumatismus sit, necesse est, ut dolor membranas afficiat cum absentia cæterorum, quæ memoratos affectus indicant; idcirco rheumatismum definio, dolorem partium membranosarum a causa interna oriundum: ut ultimis his verbis distinguatur a dolore membranarum a causa externa producto, ut ictu, pressione, distractione valida, & insolita musculorum contractione; quoniam dolor ab his causis productus, rheumatismus non est.

An universalis, an particularis sit; an fixus, an vagus; an internus, an externus sit, Medicus facile noscet: an simplex, vel complicatus; venereus, vel scorbuticus, vel scrofulosus, ex prægressis, vel concomitantibus Medicus assequetur. At præprimis noscere pluris interest, an lympha in vasculis partis affectæ hærens, eaque distrahens, visciditate magis quam acrimonia peccet, cum re-

me-

media ad hanc lymphæ indolem præcipue dirigenda ſunt: id vero noſci poteſt cognita cauſa remota rheumatiſmi, attente conſideratis ægri temperie, victus ratione, & præprimis ſymptomatibus rheumatiſmum concomitantibus: etenim ſi lympha viſciditate magis quam acrimonia peccet, nullus eſt calor præternaturalis aut parvus, & admotis parti affectæ calidis, doloris mitigatio fit: ſecus vero, dum acredo viſciditatem vincit. Rurſus rheumatiſmus a ſola lymphæ viſciditate oriundus, æſtate mitigatur, hyeme vero intenditur: qui vero a lympha acriori fit, æſtate utplurimum exacerbatur.

PROGNOSIS.

Ut debita rheumatiſmi afferatur prognoſis, tria ſunt conſideranda: ſpecies morbi, cauſa, & ſymptomatum vehementia.

1. Rheumatiſmus univerſalis particulari, cæteris paribus, gravior eſt; fixus periculoſior eſt vago; quia ſæpe inflammationem aut ſuppurationem partis affectæ parit; vagus autem facile diſcutitur; inveteratus recenti gravior eſt, & remediis magis obſiſtit: arthriticus articulos debilitat, ad podragram contrahendam diſponit, remediis non facile cedit, gravia ſymptomata parit, & ideo gravis ſemper judicandus; tamen internus externo periculoſior eſt, quia plura atque gravia ſymptomata habet adjuncta.

2. Dum fluida ſiccitate & acrimonia peccant, multo difficilius rheumatiſmus curatur, quam ſi ſimpliciter ſiccitate peccent, quia ſiccitate & acredine peccantia, multo plura atque pejora pariunt mala, quam ſi ſolum viſcida, atque tenacia fuerint. Scorbuticus & ſcroſuloſus vix curationem admittit; venereus plerumque ſanatur, quia remedio

dio ſpecifico debellatur virus venereum; ſcroſulo-ſum, & ſcorbuticum nequaquam. Rurſus qui, ſup-preſſis catameniis, mulieribus accidit, ad ultimum vitæ terminum ſæpe perſeverat, gravia ſympto-mata, ut maciém inſignem, febrem lentam, ad motum impotentiam, imo tabem & mortem pa-rit, quia pravi ſucci, qui ſingulis menſibus cum ſanguine menſtruo per uterum excernebantur, re-tenti, in ſanguine cumulati, fluidorum craſim pervertunt, remediorum ulla vi corrigendam. Rur-ſus qui a victu ſicciore, & acriore diu continua-to, vel potu nimio liquorum ardentium in ægro temperamento ſicco & ardenti donato fit rheuma-tiſmus, medelam difficile ſuſcipit.

3. Si partes affectæ intumeſcant, cum dolore & calore nimio, adeo acuto dolore, ut vix tangi, neque a ſitu dimoveri poſſint ſine inſigni doloris exacerbatione; ſi febrem comitem habeat rheu-matiſmus, magnum periculum ægro minatur; quo febris acutior eſt, quo major virium proſtratio, quo graviores ſunt anxietates & vigiliæ, eo quo-que periculoſior rheumatiſmus eſt. Dum totum cor-pus tumet præternaturaliter, facieſque fit decolor, cum magna virium proſtratione, & impotentia ad motum, maximum imminet periculum: lethalis vero rheumatiſmus eſt, ſi magna ſit reſpirandi dif-ficultas, aut ſputa purulenta rejiciantur; tum quia ſuppuratus eſt pulmo, aut aquæ in thoracis cavi-tate effuſæ ſunt. Demum ſi rheumatiſmus cum ali-quo morbo complicetur, ejuſdem prognoſim gra-viorem efficit; ſenes adultis, & juvenibus plus periclitantur.

CURATIO

Eo dirigenda eſt rheumatiſmi curatio, ut emen-detur prava lymphæ indoles, a qua producitur:

ea

ea vero aut ſola viſciditate peccat, aut viſciditate ſimul & acrimonia. Si noſcatur lympham ſola viſciditate peccare, ſequens inſtituenda eſt curandi methodus. Primo diæta cibis optimi ſucci eſt præſcribenda, ſi nulla febris adſit; ſi vero febris eum comitetur, tenuis imperanda eſt; potus ſit aqua fontana, vel ptiſana foliis capillorum veneris, & gramine canino parata: dein ſanguis mittendus eſt; imo repetenda eſt venæ ſectio, donec ſufficiens vaſorum depletio fiat, habita tamen ratione ad ætatem, temperiem, & vires ægrotantis. Si febris rheumatiſmo acceſſerit, ſanguis ſæpius mittendus eſt, ut ea mitigetur; clyſteres quoque injiciendi, ſi alvus pigra fuerit, decocto emollienti, & medulla caſſiæ parati, vel aqua fontana, & oleo amygdalarum dulcium. Tandem alvus purgantibus ſubducenda, ut ſaburra in primis contenta eliminetur.

Verum priuſquam purgatio celebretur, dolorem narcoticis compeſcere oportet, laudano opiatico ad unum, aut alterum granum exhibito, vel laudano liquido a viginti ad triginta guttas præſcripto: doſis opii definiri non poteſt, ſed ea doſi exhibendum eſt, quæ dolorem mitigare valeat: eo autem æger utetur, donec rheumatiſmus remiſerit. His ita præſcriptis, ſequens potio purgans exhibebitur.

℞. *Senn. mundat. dr. ij. rh. contuſ. & tartar. ſolub. ana dr. ſem. flor. perſicor. m. ſem. coq. in decoct. polypod. quercin. ad unc. vj. in colat. diſſolv. mann. calabrin. unc. ii. & ſem. f. pot.*

Si ſaburra in primis viis copioſe lateat, tartarus ſtibiatus huic potioni adjicietur ad grana tria vel quatuor. Celebrata purgatione juſculum parabi-

bitur e carne vitulina, additis tribus cancris fluviatilibus præparatis, & foliis boraginis ad manipulum. Juſculum per decem dies ſumetur, quibus elapſis, iterumque celebrata purgatione, ſequens potio ſudoriſera parabitur.

℞. *Aq. card. benedict. & boragin. ana unc. iij. theriac. veter. dr. j. pulver. viperin. & granor. kerm. pulverat. ana dr. ſem. antimon. diaphoretic. ſcrup. ij. f. pot.*

Exhibita potione, æger tegumentis pluribus cooperiendus eſt, ut ſudor moveri poſſit, qui, ſi levamen attulerit, potio per duas aut tres vices, alternis tantum diebus, exhibenda eſt, quibus elapſis, purgatio ut ſupra iterabitur. Tandem ut rheumatiſmus integre ſanetur, juſcula viperarum per dies viginti præſcribenda, quibus ſuccedet lac vaccinum ebutyratum, additis decocti ſalſæ parillæ unciis quatuor, per menſem ſumendum, præſcripta in fine purgatione. Inſuper laudanum ſingulis diebus hora ſomni exhibere oportet, ad dolorem mitigandum.

Ut rheumatiſmi reditus præcaveatur, juſcula viperarum Vere & Autumno per duos, treſve annos repetere convenit; necnon balneum aquarum thermalium opportune adhibitum, ad hunc morbum ſanandum quandoque prodeſt. Hæc lympham craſſam, in vaſculis minimis ſtagnantem, eiſque quaſi agglutinatam liquant, ſolvunt, ejuſque fluxilitatem debitam reſtituunt; idem præſtat balneum arena maris paratum, & vigente æſtatis calore aliquoties adhibitum.

Quando rheumatiſmus a lympha ſpiſſa, & inſigni acrimonia prædita procedit, diæta tenuis & humectans præſcribenda eſt, ſanguis ſæpius mittendus, ratione febris quæ ipſi adjungitur: Narcotica quo-

quoque maximi uſus; pro potu aqua pulli, vel leve orizæ decoctum præſcribetur. Vaſis ſufficienter depletis, dolore pariter narcoticis mitigato, potio purgans parabitur ſic.

℞. *Medull. caſſ. recent. e cann. extract. unc. j. flor. violar. & perſicor. ana m. ſem. cremor. tartar. dr. ſem. coq. in aq. pull. unc. xij. pro duplic. doſi, in prima diſſolv. mann. calabrin. unc. ij. ſecunda unc. j. capiat.*

Facto duarum a prima doſi intervallo, ſecunda exhibeatur, & hora una elapſa poſt ejus exhibitionem, juſculum propinabitur. Celebrata purgatione, juſcula pullorum foliis cichorei hortenſis, vel naſturtii aquatici alterata per dies decem præſcribentur, hiſque uſus ſeri lactis clarificati ſuccedet, per dies viginti ſumendi, quibus elapſis, purgatione celebrata, lac aſininum hauriet æger, quo nihil præſtantius in hac rheumatiſmi ſpecie, incipiendo a doſi mediocri, ſenſim ad majorem veniendo, donec ſtomachus id aſſueſcat, quo eveniente lac aſininum ſero & mane haurire oportet; quin etiam ut ſanguis magis edulcetur, diæta lactea per menſes aliquot præſcribenda eſt. Si æger a narcoticis ſe abſtinere nequeat, quod plerumque propter dolorem accidit, narcoticum ſero exhiberi poteſt, duabus aut tribus horis elapſis poſt lac aſſumptum, ei miſcendo ſtomachicum quoddam, ut aqua naphæ, confectio de hyacintho, vel alkermes, item terra Japonenſis, caſcarilla, antimonium diaphoreticum antihecticum Poterii, corallium præparatum, oculi cancrorum, ex quibus cum aqua cichorei julepus parari poteſt, cui narcoticum hora ſomni additur.

Sanato, aut notabiliter mitigato rheumatiſmo, cibi ægro paulatim reſtituendi ſunt. Interim partes

rheu-

rheumatiſmo affectas convenienter tegere neceſſe eſt, imprimis per hiemem, ne aeris frigore cohibita tranſpiratione dolor recrudeſcat. Optimum eſt pannum e lana tenui confectum parti imponere; etenim ſæpe evenit, ut plures, hoc panno parti impoſito, a doloribus rheumaticis penitus ſanati fuerint. Topica quoque parti affectæ applicata proſunt; ſic laudanum cum oleo amygdalarum dulcium mixtum, parti illitum, dolorem ſæpiſſime mitigavit; eumdem præſtat effectum, ſi unguento de althæa admiſceatur; litus quoque ſaponis ad ſanandos dolores rheumaticos commendatur; alii oleum aromaticum laudant. Demum adeps plurium animalium adverſus dolores rheumaticos valet; ſic adeps humanus, vulpinus, cervinus, anſerinus, ardeobaſteriæ a pluribus adhibentur.

CAPUT XIX.

De Arthritide.

ARthritis definitur dolor partium circa articulos per intervalla recurrens.

DIFFERENTIÆ.

Si pedes afficiat, dicitur podagra; ſi genu, genugra, ſeu gonagra; ſi manus, chiragra; ſi coxidem, iſchias: cæteraſque taceo denominationes, quas arthritis ab aliis articulis nomen accepit, utpote minoris momenti. Ratione cauſæ alia eſt hæreditaria, quæ a parentibus in proles tranſmittitur; adventitia altera, quæ abuſu rerum non naturalium oritur: quandoque venerea eſt, dum a lue venerea producitur; aliquando cum ſcro-

ſcrofulis & ſcorbuto complicatur, unde arthritis ſcrofuloſa, & ſcorbutica vocatur: ratione durationis recens vel inveterata eſt, hæc nodoſa dicitur, quando eoſdem articulos ſæpiſſime afficiens tophos in eis parit, qui horum motum impediunt; partes, quæ in arthritide afficiuntur, ſunt membranæ, quæ ligamenta, cartilagines, articulis famulantia inveſtiunt; tendines etiam articulis vicini dein & ſucceſſive laborant; priores membranæ ſunt veræ arthritidis ſedes, quia ingens in iis eſt numerus glandularum ſynoviam effundentium; adultos & ſenes præ juvenibus, viros præ mulieribus, divites præ pauperibus & ruſticis aggreditur. Raro ante vigeſimum annum invadit, eos præſertim afficit qui veneri & crapulæ indulgent, aut cibis ſalſis, piperatis diu utuntur. Incipit a dolore pedum, articulos præſertim infeſtante, ſine tumore ſenſibili; quandoque tumor dolorem comitatur: prima invaſio mitis ac brevis eſſe ſolet, dein paroxyſmus recurrens longior, graviorque eſt; ſemper a dolore incipit, cui tumor ſuccedit; tumor is in principio ſat exiguus inflammatorius eſt, tunc pars intenſe rubet & calet, dolor tantus eſt ut ex levi contactu admodum exaſperetur, & immota etiam parte diu ægrum divexet, qui idcirco vigil & anxioſus febre corripitur: aucto tumore, dolor, cæteraque ſymptomata mitigantur, ſupereſt in parte debilitas magna & ad motum impotentia magis aut minus perſeveratura: paroxiſmum plerumque antecedunt horror, pondus & tenſio partis, quam arthritis aggreſſura eſt; dum ab aliquo tempore arthritis invaſit, ægerque plures paſſus eſt paroxiſmos, non una pars afficitur, ſed plures arthritide laborant, ut pedes, manus, genua, cubiti; hæ quandoque partes modo ſimul afficiuntur, modo unam tantum invadit arthritis. Dumque paroxiſmus mitigatur, ſubito pars altera corripitur, ita ut arthritis ſucceſ-

ceſſive pedes, genua, manus & cubitos invadat, imo nullum aliquando articulum immunem relinquit, potiſſimum ſi æger diætam convenientem non ſervet: at, quod pejus eſt, materia arthritidis tanta quantitate in ſanguine colligitur, ut cum in partibus externis tota deponi non poſſit, in partes internas irruat, in cerebrum, pulmones, ventriculum, inteſtina, ibique ſtrages graviſſimas edat: idem etiam contingit, dum arthritica materiam a topicis intempeſtive admotis intus repellitur, id gallico idiomate vocatur, *la goute remontèe*. Demum ſi arthritis eoſdem articulos ſæpius afficiat, tophos in eis parit, ſeu tumores, qui aperti materiam duram, gypſeam ejiciunt, a qua producitur hujus articuli anchyloſis, ſeu in eo ad motum fit impotentia.

C A U S Æ.

Quandoquidem dolor arthriticus fit in membranis ligamenta, cartilagineſque articulorum involventibus; ergo illius cauſa proxima erit harum membranarum diſtractio valida, vel irritatio producta a lympha ſynoviali ſpiſſiori, partibuſque tartareis onuſta glandulas ſynoviales & vaſcula membranarum infarciente: partes has tartareas lympham articulorum condenſantes cauſam eſſe arthritidis conjunctam, pluribus demonſtratur rationum momentis.

1. Nephritis a materiis calculoſis oriunda ſæpe evaneſcit arthritide invadente, & arthritis inveterata, ſæpeque recurrens hanc nephritidem, imo calculum ſæpe parit.

2. In articulis arthritico paroxiſmo ſæpe laborantibus tophi generantur, ſeu materia formatur, calcis, aut gypſi colorem, & duritiem habens.

3. Quæ remote arthritidem pariunt, partibus tar-

ta-

tareis ſanguinem gravidant, ut uſus carnium ſale, & fumo induratarum, aut aromatibus conditarum, ita cibi diſpepti partibus terreis, craſſis onuſti, & præprimis potus vini nimius, qui frequentiſſima eſt cauſa arthritidis: quantum vero partium tartarearum in vino lateat, nemo neſcit: hæ partes tartareæ in ſanguine producuntur ab intima partium ſalinarum fixarum cum terreis copula, concurrentibus ad intimiorem nexum ſulphureis craſſioribus: hæ cum cibis aſſumptæ una cum chylo ad ſanguinem perducuntur, adeoque numquam in ſanguine deſunt; verum a ſero prædominante dilutæ, a vaſorum oſcillationibus & variis fluidorum colliſionibus attritæ, ac diviſæ, per varia cola, præprimis per renes continuo ejiciuntur, ne in ſanguine cumulatæ damna graviſſima pariant. Quæcumque igitur has partes tartareas in ſanguine augere valent, arthritidem remote pariunt.

1. Uſus ciborum ſalſorum & piperatorum, carnium ſale, aut fumo induratarum: hi cibi in ſtomacho difficile coquuntur, & chylum viſcidiorem ſuppeditant. Rurſus chylus ex iis confectus, partibus ſalinis fetus partes ſolidiores & duriores obtinet quam ut poſſint vaſorum ictibus atteri, adeoque non ea proportione excernuntur, qua ſanguini permiſcentur: ergo in ſanguine cumulatæ in vaſculis lymphaticis potiſſimum ob tardigradum humorum motum terreis copulatæ materiam arthriticam gignunt.

2. Otium & vita ſedentaria materiæ arthriticæ generandæ non parum conferunt; exercitii defectu languet vis vaſorum ſyſtaltica, humores lentius progredientes, in quamplurimis vaſculis ſtagnantes exiguam nimis diviſionem patiuntur: ex his effluit quod tenuius, mobiliuſque eſt: craſſiores vero partes retentæ, accumulatæ, & intime unitæ materiam arthritidis efficiunt; ex eo liquet cur

cur divites pauperibus magis arthritidi ſint obnoxii, cum magnam ciborum ſale ut plurimum, & pipere conditorum quantitatem aſſumant parumque ſe exerceant.

3. Potus nimius vini, ſeu ebrietas frequens eſt arthritidis cauſa: vinum enim partibus tartareis copioſis ſcatet; ergo a potu nimio vini partes tartareæ tanta copia permiſcentur, ut in eo redundent, quibus lympha gravida ſpiſſitudinem, & acrimoniam contrahit: humor vero ſynovialis lymphæ eſt; iiſdem ergo partibus inficietur, adeoque glandulas ſuas infarciet; inſuper vinum nimium fermenta digeſtiva obtundit, fibras ſtomachi corrugat, ciborum digeſtioni maxime nocet, unde chylus crudus, ſpiſſus, partibuſque tartareis dives conficitur, qui iiſdem partibus ſanguinem gravidat.

4. Ardentium liquorum potus, vigiliæ diu protractæ, exercitia immodica, venus effrænata arthritidem generant, quatenus ſerum ſanguinis diffiant: verum qua proportione ſerum ſanguinis abſumitur, ſalinas partes dilui & per varia cola excerni neceſſe eſt, quæ ideo craſſiores factæ, terreis partibus unitæ, partes tartareas in ſanguine gignunt, quibus lympha articulos irrigans feta, ſpiſſitudinem & acrimoniam contrahit; rurſus exercitia nimia, venus immoderata articulos debilitant, horum ligamenta exſiccant, ad arthritidem contrahendam diſponunt. His igitur fit ut humor ſynovialis partibus tartareis inquinatus, in vaſculis & glandulis membranarum circa articulos hæreat, & colligatur.

5. Lues variæ, præſertim ſyphilitica, arthritidi natales præbent, quia harum quælibet partes lymphaticas cogit, ſalinas, terreaſque ſimul copulat, harumque attritionem impedit; inde lympha in grumos & concreta dura, ſolidaque convertitur, quæ glandulas ſynoviales, vaſculaque glandularum cir-

circa articulos obſtruunt, imprimis dum lues eſt inveterata.

SYMPTOMATA.

1. Dolor fit circa articulos, quia glandulis ſynovialibus, vaſculiſque membranarum ligamenta, & cartilagines inveſtientium infarctis, motus fluidorum præpediri neceſſe eſt, quibus indeſinenter ad harum membranarum vaſcula appellentibus, illa diſtenduntur, fibræque nerveæ violenter diſtrahuntur. Rurſus partes tartareæ duræ, & aſpera ſuperficie donatæ, lympham denſantes, in tunicas vaſculorum impetentes, fibras nerveas pungunt, & irritant: dolor in principio paroxyſmi tolerabilis eſt, quia infarctus levis eſt; verum eo creſcente dolor intenditur, qui anxietates, vigilias & febrem parit.

2. Articulus affectus tumet, quia præpedito ſanguinis motu in membranis affectis, fluida uberius ad vicinas & integumenta affluunt, horumque vaſcula infarciunt. Rurſus dolor uberiorem fluidi nervei influxum ad partes affectas, & integumenta vicinia proritat, quo vaſcula ſanguifera ſtringuntur; præpeditur ergo in illis ſanguinis motus, quæ idcirco tument, dolent, calent, & rubent, ſeu inflammantur: fit quandoque, ut dum integumenta inflammatorie tument, dolor articulorum mitigetur; determinata uberiori ſanguinis copia ad partes externas, minor ad ligamenta & cartilagines fluit; unde minor membranarum diſtractio fit.

3. Motus articuli affecti fere impoſſibilis, quia dum articulus movetur, membranæ affectæ admodum diſtrahendæ ſunt; ergo dolor tantus eſt, ut præpediatur; ex hac impotentia motus, & humorum aggeſtione veluti pondus ingens in articulo percipitur.

4. Ca-

4. Calore articuli affecti aſſiduis arteriarum ictibus in glandulas & vaſcula infarcta impetentium, fit materiæ arthriticæ diviſio, quæ ideo per vaſcula vicina progreditur, & a ſanguine circulante rapitur, partimque per poros exhalat; inde paroxiſmi diſcuſſio. Verum ſi materia non ſufficienter attrita ſanguini permiſceatur, hæc ad partes internas circulatione delata, ut cerebrum, pulmones, ventriculum, inteſtina, infarciet horum vaſcula, ac morbum acutiſſimum pariet, qui gallice dicitur *la goute remontèe*.

5. Collecta iterum materia arthritica in ſanguine, rurſus quoque in articulum debiliorem ruet, & novum pariet paroxyſmum; mox vero majori copia collecta, aut propter pravam ægrotantis humorum craſim, hujus generationi faventem, aut propter malam ægrorum victus rationem non unum tantum articulum, ſed plures aut ſimul aut ſucceſſive aggreditur; hinc patet cur paroxyſmi eo longiores quo frequentiores & majori vi redeunt, cum major tunc ſit in ſanguine materiei arthritidis quantitas; unde vix ulli articulo parcit.

6. Dum paroxyſmus eoſdem articulos frequenter invadit, tophos in eis parit, quolibet recurrente paroxyſmo, tonus glandularum & vaſculorum membranarum debilitatur, materia arthritidis copioſius colligitur, partes ejus non attritæ in majores moleculas coeunt, quæ longiori mora indureſcunt; ergo ligamenta, cartilagines rigeſcunt, & cavitas articulorum ex materia, quam glandulæ ſynoviales evomunt, repleta omnem articuli motum tollit, & anchyloſim parit; collecta eadem materia circa articulum tophos ſeu tumores duros efficit, qui aperti materiam gypſeam, cretaceam ejiciunt.

7. Qui ſæpius arthritidis paroxyſmum patiuntur colica nephritica ſeu calculo veſicæ laborant, facta ſeparatione materiæ arthriticæ una cum urina in reni-

renibus: id vero indicat majorem esse in sanguine materiæ arthriticæ copiam, quam ut a sanguine in articulos tota deponatur.

DIAGNOSIS.

Arthritidis diagnosis facilis est, cum morbus sit articulorum per certa intervalla recurrens, quo facile distinguitur a tumore frigido articulos nonnunquam afficiente, qui diu durat, nec per intervalla recurrit. Si quæ sit difficultas noscendi, id in primo paroxysmo accidit, qui cum aliis articulorum affectibus confundi potest. His tamen signis a cæteris affectibus distingui potest, 1. Si articulorum tumor & dolor absque causa externa, & manifesta fiat. 2. Si ægrum afficiat, qui a parentibus arthritide laborantibus natus fuerit. 3. Si dolor & tumor non multum ægrum excrucient, quia primus arthritidis paroxysmus cæteris mitior esse solet, hæc arthritidem significant: verum certior fit diagnosis, dum paroxysmus discussus sine causa manifesta redit. Venerea arthritis morbis venereis prægressis declaratur. Signa causarum ex ægri relatu petuntur.

PROGNOSIS.

Arthritis affectus est chronicus & insanabilis; recens tamen & non hæreditarius quandoque sanatur, præsertim si venereus sit; inveteratus nullo modo sanari potest, ita & hæreditarius: molestus est hic affectus, malaque gravissima parit; tollit enim articulorum motum, colicam nephriticam, & calculum vesicæ parit; si arthritis subito mitigetur & evanescat, sæpe ex articulis in partes internas ruit, morbosque acutissimos, plerumque lethales producit, ut affectus soporosos, oppressiones pectoris suffocatorias, dolores lateris acutissimos,

lipothymiam, ſyncopem, aliaque mala graviſſima. Rurſus fere nunquam cæteri morbi ægros arthritidi obnoxios corripiunt, quin materia arthritica ad eos affectus producendos concurrat; inde horum affectuum tanta vehementia, & curatio adeo difficilis eſt. Si arthritis ſuas periodos ſervare conſueta non revertatur, graviſſimos & ſæpe lethales morbos portendit: inſuper arthritis a quamplurimis morbis ægros præſervare dicitur, ob facilem humorum in articulos defluxum, & longævitatem conciliare, modo ægri conveniens victus regimen ſervent.

CURATIO.

Duo ſunt tempora in quibus remedia ſunt adhibenda, in paroxyſmo, & extra. Vigente arthritide diæta tenuis & refrigerans imperanda, ſanguis mittendus eſt, habita ratione ad febris intenſionem, ægri vires, ætatem, & temperiem; ſordes inteſtinorum clyſteribus eliminandæ, & præprimis dolor laudano ſedandus, quod doſi convenienti exhibere oportet: ſi dolor acutiſſimus fuerit, non ſemel tantum, ſed bis in die adhibendum, & topica emollientia, ut cataplaſma de mica panis; vel lacte tepido pars affecta foveatur: quibuſdam prodeſt lardum parti applicatum, aliis linitus qui aqua vitæ cum ſapone paratur. Horum topicorum varietatis incredibilis eſt effectus; quod hodie prodeſt, cras nocebit; & vice verſa. Sæpe melius eſt topicum nullum applicare, ſed paroxyſmi mitigationem ex internis remediis patienter exſpectare; dum dolor mitigatur calor & robur minuuntur, pars affecta ſudore perfunditur, ſæpe finis paroxyſmi imminet; quandoque poſt hæc recrudeſcit malum, aut in aliam partem irruit. Mitigato paroxyſmo, ægro cibi paulatim offeruntur, dein celebrata purgatione,

ne, æger uberius cibandus eſt, ut muniis conſuetis fungatur.

Extra paroxyſmum ideo adhibentur remedia, ut reditus retardentur, & mitiores fiant, cum morbus inſanabilis ſit, niſi recens, & venereus ſit, qui quandoque adhibito hydrargyro ſanatur. Mos eſt Empiricorum integram arthritidis curationem polliceri, ſed quam falſo glorientur, eventus demonſtrat, cum nullus hactenus ſit qui ſpecificum adverſus arthritidem invenerit: non audiendi igitur ſunt, qui tale ſpecificum ſe habere gloriantur. Ut autem præcaveantur frequentia, & vehementia paroxyſmorum, eo dirigenda ſunt remedia, ut ciborum coctionem adjuvent, partes tartareas, ſalinaſque fixas in ſanguine latitantes diluant, dilutas per varia cola excernant; neque enim articuli externis remediis corroborandi, ut nonnulli exiſtimant, qui aſtringentia eis imponunt: verum ſtrictura circa articulos ab aſtringentibus facta, materiem arthritidis in ipſis decumbere vetat, quæ in ſanguine retenta in partes internas irruit, mala graviſſima parit; ergo ea cane pejus & angue vitanda ſunt; itaque ciborum digeſtio fovebitur optimo victus regimine; abſtineat æger a piſcibus, a cibis ſalitis, piperatis, crudis, acidis, & difficilis coctionis; moderatus ſit cibus, cœna brevis, a vino & liquoribus ſe abſtineat; ſit tantum pro potu aqua fontana pura. Quantum aqua valeat adverſus arthritidem, vix credibile. Dum victus regiminis comes ſit exercitium moderatum, pede deambulando, vel equitando; hoc enim exercitii genus fluida concutit, concuſſionibus dividit, diviſa per poros cutis, aliaque cola copioſe eliminat, ſanguinemque fluidiorem reddit, parteſque tartareas dividit, & excernit, ciborum coctioni favet; ergo exercitium moderatum arthriticis multum prodeſt.

Præſcripto victus regimine, lac Vere & Autumno quo-

quotannis ſumendum, ut fluida diluantur, ſolidorumque mollities ſervetur, aut augeatur, humorque ſynovialis mucilaginoſus & humidus articulis ſuppeditetur: ne autem lac in ſtomacho acorem contrahat, quædam ſunt præmittenda, ut venæ ſectio, ſi neceſſaria ſit, imprimis purgatio duplici doſi; præſcribenda dein juſcula cancrorum fluviatilium per dies decem ſumenda, quibus ſerum lactis per dies quindecim continuandum ſuccedat; tandem lac aſininum per duos menſes hauriet.

Si arthritis inveterata, ſæpe direque recurrat, æger diæta lactea per unum aut alterum annum utetur: hac diæta nonnullos arthritide immunes evaſiſſe, obſervatio Auctorum fide digniſſimorum nos docet. Lac enim parte ſua ſeroſa partes terreas, & ſalinas diluit, mucilaginoſa vero reliquas ſanguinis ſubſtantias edulcat, ergo majorem fluxilitatem humoribus conciliat, vaſis vero mollitiem, & flexilitatem, adeoque paroxyſmos arthritidis arcet, & ſi morbus non eſſet inſanabilis, radicitus expugnaret: inutiliter ergo, ſæpeque male ad amara nonnulli confugiunt, & alterantia potentiora ſuadent, cum hæc ſanguinis ſerum diffient, parteſque tartareas uberius in ſanguine congerant: ſi æger æſtivo tempore diæta lactea non utatur, aquas acidulas potare poterit, ut Vallenſes, aliaſque ejuſdem virtutis & energiæ, quæ urinas copioſe movent, parteſque tartareas cum ipſis eliminant; eas vero tepidas potare oportet, ut majoris ſint efficaciæ: balnea vero non conveniunt, quia partes quæ arthritide fuerant correptæ, nunquam ſunt balneandæ, harum textus balneo magis debilitatur, & paroxyſmi longiores ac vehementiores erunt, eaſque & ſiccas, & calidas ſervare oportet.

FINIS.

BIBLIOTECA
AGRARIA